PURMANN

QUAESTIONUM LUCRETIANARUM SPECIMEN

QUOD

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS URATISLAUIENSIS

AUCTORITATE

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

RITE CAPESSENDORUM CAUSA

A. D. VIII KAL. APRIL. ANNI MDCCCXXXXVI

CONTRA ADUERSARIOS

IULIUM GEISLER, Dr. phil.
MAURITIUM SPECK, Cand. phil.
ADOLPHUM REICHE, Cand. phil.

DEFENDET AUCTOR

HUGO PURMANN,

SILESIUS.

URATISLAUIAE.

TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCIORUM.

HUGO PURMANN LECTORI BENEUOLO S.

Plagulae, antequam prelo submitterentur, semel tantum emendationis causa mihi missae sunt. Quod cum ita sit, quantumuis strenue et accurate rem gesserim, loci parum recte excusi nonnulli etiam nunc reperiuntur. Saepissime in orthographia peccatum est, quam ad codicum praestantissimorum auctoritatem accomodatam typotheta iusto doctior ad uulgarem scribendi rationem interdum reduxerat. Relicuorum mendorum, quae uocabulis sententiisque in textu deletis et in margine adscriptis pleraque omnia orta sunt, molestissima, quotquot plagulas celeriter perlustrans inuestigare potui, breuiter indicabo. P. 19, Adn. **) l. 7 lgd. est: partim nouas interpolationes aduexerunt. p. 25, l. 14 priscas litterarum formas typotheta haud ita feliciter expressit; attamen res per se perspicua est. p. 25, l. 29 lgd. est: codicum auctoritatem aequiparauit. p. 33, l. 10 ab extr. addendum erat: cf. Non p. 199 s. u. cortex, quod fem. gen. esse uersu Lucretiano demonstratur: quae quasi membrana uel cortex nominitanda st. Codd. Lucr. omnes aeque ac Nonius membrana praebent. Editores perperam membranae scripserunt. p. 37, l. 6 ab extr. lgd. est: eiusmodi est color. p. 47, l. 4 attamen uu. 914—919 omnes non utique necessarii sunt. p. 50, l. 10 ab extr. lgd. est: hoc modo et sententiarum connexus aptus est. p. 58: uu. L. IIII, 210—230 secundum editionis Eichstaedtianae auctoritatem adscribendi erant. p. 60, l. 12 post uu. „a Seruio docemur" omissa sunt: cf. Seruius ad Georg. IIII. 219.

Olsnae A. D. XIII. Kal. Apr.

Genuina, quam quaerimus, lectio res est in facto posita, eodemque modo, quo aliae res factae, erui ex monumentis fide dignis debet.
Carolus Schneider.

Sinceris et genuinis antiquitatis thesauris recens reclusis, cum generi humano, quod longa et graui barbariae nocte pressum antea degerat, diuina et aeterna humanitatis omnisque uitae liberalis fundamenta suppeditarentur, necessario, ut homines, prout tempora erant, etiam doctissimi, mole doctrinae et artis antiquae oppressi, libero de singulis antiquarum litterarum monumentis iudicio carerent, est factum: toti cum a scriptoribus graecis latinisque penderent, et omnium, quae in opere componendo ualent, artium summa exemplaria inde repeti iubebant, et omnis, siue Romani cuiuslibet, siue Graeculi liber absolutum quoddam et perfectum iis esse uidebatur. Fuerat sane et iis gentibus, quae linguam Romanam, quamuis mixtam et mutatam, adoptauerant, et iis, quae linguam Germanicam integram seruauerant, poesis propria et quam genuino poetico nitore non iam orbam perhibere solemus, neque libri prosa oratione non scribebantur: at libris his prosaicis, cum omnino rari et, quamuis rudes, ex minutis antiquarum litterarum reliquiis perducti essent, ut liberius fieret de ueterum operibus iudicium, effici non potuit; poesis uero, et quae in populo floruerat, et quam in aulis principum coluerant, cum omni uitae condicione prorsus mutata obliuioni fere tradita esset, tum certa carebat norma et certo illo ordine, qui, imprimis in Romanorum poeseos monumentis ubique conspicuus, uiros illos usque tenebat, quorum in Parnaso auctoritas tum uel summa existimabatur.

Neque uiros nominare hic alienum est, qui Uergili, Horati, aliorum uestigia prementes miseraeque sibi huius artis auctores

ipsos illos clarissimos poetas fuisse profitentes, carminibus undecunque consutis edita gloriae templa intrare constituerunt *); neque Iuli Scaligeri exemplo ea, quae supra monuimus, labefactantur: nimio enim Uergiliani nitoris amore seductus (cum omnino uis illa diuina, quam Graecae litterae in excolendis hominum animis praestiterunt, seriore tempore tanta sit facta, cui omnes Romanorum litterae cedere deberent) uir illustrissimus rudem appellauit Homerum et qui hominibus elegantibus probari nullo modo posset.

Priore tempore, id quod mirum non est, maculae, quae ne in clarissimis quidem antiquitatis monumentis omnes profecto absunt, lectores latuerant. Iudicio uero ipsis aureis his libellis elegantiore et subtiliore facto, cum in pratis amoenissimis (ubi nihil uulgo, nisi quod absolutum et ab omni uituperatione remotum esset, homines repositum existimauerant) loci deformitate quadam discrepantes emergerent, et ut emendationes exorerentur audacissimae factum est, et ut singula uerba, et uersus et libri toti obelo notarentur.

Iam maximam partem aliter res se habet: cum omnino eruditione et libero arbitrio, uti par erat, ueteres superauimus, tum nimius ille stupor, quo uiri, Graecarum Romanarumque litterarum studiosi, antea omnes afficiebantur, dudum euanuit, neque (ne rem fortasse grauissimam silentio praetereamus) iudicio, quod ex aesthetica sola nimis uniuersa petiimus, incerto utentes iam ad ueterum opera adimus, uerum iudicio, quod indefesso et prudenti historiae studio poliuimus et conformauimus. Neque uiri desunt, qui, ut integra antiquitatis cognitio nobis fieret, monumenta, quibus aditus ad perennem humanitatis fontem pararetur, ita exhiberi iubentes, quomodo reuera instituta essent, errare eos nos docuerunt, qui ideo, ne iudicium nostrum fortasse paulo subtilius unquam offenderetur, omnis eos locos, quibus id, quod unice uerum et probum esset, auctorem non uiderent assecutum, aut emendare, aut, tanquam aliunde introductos, eliminare constituerent.

At, quod inter omnis constat, cum opinionibus confirmatis difficillimum est luctari, atque hodie quoque praeter sobrios illos

*) Acerrimum huius imitationis praeceptorem uida se praestitit in poeticis. cf. praeter alios locos L. III v. 210 sq.

et prudentis criticos reperiuntur, qui, a uera rerum tractatione longe remoti, eliminationibus, emendationibus, ceteris huiusmodi facinoribus miras in ueterum libris turbas commoueant. Celeberrimum huius audaciae exemplum inter Batauos hodiernos Peerlkampius praebet, qui uir, iudicio sane subtili et, si uis, satis libero ornatus, cum permulta in Horatio *) uideret parum probanda et quae ad nimias poetae laudes haud ita quadrarent, et uersus et strophas et poemata integra ex interpolatorum fabrica prodiisse statuit. Atqui Horati carmina summa industria sunt perpolita; quid, quod inter nitida illa antiquitatis monumenta carmen relictum nobis est, cui neque ultimam nec primam manum limandi causa accessisse constat, cuius auctorem de rei difficultate et austeritate haud semel deprehendimus lamentantem: nonne ibi summa criticorum facinora te reperturum existimabis? Profecto. Neque deest tale opus, neque criticorum facinora desiderantur. Titus Lucretius Carus, aeque ac M. Annaeus Lucanus morte immatura abruptus, opus nobis reliquit, quod ad summam perfectionem neutiquam perducere potuerat, ab anxio nitoris studio, quod Lucani tempore fere solum ualebat, non minus remotus, quam materiae austeritate oppressus, quae omni rerum ornatui, quantum fieri poterat, aduersabatur. — Qui uero primi post interpolatores Italos Lucretio operam dederunt, Auancius, Naugerius, Marullus, Candidus, Pius Bononiensis et singula uerba et dictiones ex arbitrio emendarunt et codicum lacunas, siue quae reuera aderant, siue quae adesse putabantur, propio Marte repleuerunt, neque aliter res relicuis ante Lambinum editoribus est acta. Dionysius Lambinus, uir iudicio elegantissimo et subtilissimo instructus, primus in Lucretio exstitit audax eliminator, ipse, quo tandem pacto hi panni aliunde assuti in genuinorum uersuum ordinem irrepsissent, haud admodum curans et tantum auctoritate ualuit, ut per duo saecula libri de rerum natura ederentur a Lucretio instituti, a Lambino perpoliti.

Uersus sane, quos Lambinus obelo notauerat, ab editoribus, quamuis non prudentioribus attamen timidioribus, non reiiciebantur; uerum, quod in temporum progressu necessarium erat, opinionis illius prorsus damnandae, qua si quis in edendis carminis

*) Et nuper in Uergilio; cf. Jahni iudicium in annalibus docte et copiose prolatum.

Lucretiani libris norma uteretur, nihil certi restaret, prima uestigia iam ea aetate reperiuntur. Sigebertus Hauerkamp, quem ad Quinctil. L. III, 1, 4 Spaldingius secutus est, duobus locis, ut difficultates nonnullas tolleret, duplicem carminis recensionem exstitisse censuit, utramque ab auctore ipso institutam. Quod, cum in Lucretio curas Lambinianas perpesso locum habere posset, emendationibus et interpolationibus remotis fere necessarium uideri debebat, neque, posteaquam Gilbertus Wakefield, ut etiam in hoc carmine singulare aliquid produceret, audaciam Lambinianam cum caeca quadam erga codices modo meliores modo deteriores obedientia commutauit, editores aliter statuerunt. Haud curiosum illud Lambinianum emendandi studium uel propterea reiicientes, quod talis agendi ratio ad summos in historia progressus non iam conueniebat, Eichstaedtius et Forbiger, cum permulta apud Lucretium reperirent, quae a carmine eleganti aliena uiderentur, interpolatione certo consilio instituta carmen nostrum corruptum et deformatum dixerunt. Eichstaedtius, quamuis optime intelligeret, carmen a Lucretio inchoatum neque absolutum esse, inaequalitate et discrepantia orationis, quae modo uetustissimum colorem spiraret, modo ad politioris aetatis elegantiam temperata et mitigata uideretur, acque offensus atque anxium quoddam uariandi studium, quod in locis eodem sensu repetitis apparere existimabat, aegre ferens, cum uersus nonnullos a ueteribus grammaticis laudatos in nostro carmine iam frustra quaesisset, libros ab homine quodam, elegantiae iusto amantiore, qui modo emendasset, modo id, quod superuacaneum uideretur, reiecisset, retractatos et postea, nescimus quo consilio, ad genuinam simplicitatem passim reductos esse statuit. — At utinam uir doctus, antequam ad desperatam hanc explicationem refugeret, rerum condicionem accuratius perpendisset: adest ea, quae Eichstaedtio displicuit, orationis inaequalitas neque sola materiae natura explicari potest; uerum admitteretur fere oportuit aetate, qua priscus ille color, ad quem posteri respicientes Lucretium eodem loco, quo Ennium posuerunt *), elegantiae Ciceronianae iam notae et laudatae aegre reluctabatur; adsunt in

---

*) cf. Dial. de or. cp. 23. Stat. sylu. II, 7, 71; Front. ad M. C. de eloq. 9; M. Anton. ad Magistr. (epp. ad M. A. 5, 2); Front. de fer. Als. 3; Quinct. X, 1, 87 (et ibid. I, 8, 88).

locis repetitis illae uerborum et dictionum mutationes, quas Eichstaedtius a Lucreti simplicitate alienas perhibuit, at, si qua est emendatio, in posterioribus libris ea inuenitur, in quos, tanquam in aptiorem locum, cum uersus supra scriptos transferret, Lucretius necessario, quod iterum rem retractanti displicebat, emendauit, neque tanta et tam putida diligentia rem egit, ut nulla sua sponte mutatio exoreretur; loci denique, qui a ueteribus laudati in Lucretio nostro non iam reperiuntur, partim codicum nostrorum tristi condicione perierunt, partim omnino nunquam a Lucretio tales exhibiti sunt, quales memoriter laudantur. — Eichstaedtio, id quod modo uidimus, interpolator homo esse uidebatur, quamuis audax et importunus, tamen satis elegans, longe alius Forbigero, qui uir, cum omnia, quae in Lucretio displicerent, interpolatione orta statueret, imprimis repetitiones illas Lucretio abiudicauit, ne hoc quidem recte, imo prorsus iniuria: nam, ne dicam interpolatorem tanto opere ineptias sectantem alium nusquam exstare, quo tandem pacto repetitionibus reiectis carmen nostrum construi posset, neutiquam demonstrauit.

Quae retractationis suspicio, cuius uis in indicio de libris Lucretianis faciendo summa sine dubio est, quanquam nemini fortasse praeter uiros ex scriptiunculis recentiorum ubique pendentis persuaderi poterat, nullum adhuc aperte aduersarium nacta est. Iam cum huius opinionis origo qualis fuerit supra significauimus, exacta et subtili carminis totius analysi eam optime refelli certum est: uerum haec rerum tractatio quantumuis necessaria et opera digna, quae ut iuste absoluatur, etiam argumentatio philosophica modo accuratius modo negligentius peracta diligenter examinanda est, non primitiae sed finis quasi studiorum esse debet. Qua ad tempus reiecta summa duumuirorum argumenta accuratius examinare et cum relicuis, quae ad rem nostram spectarent, testimoniis conferre adhuc constitui.

Fortasse hoc modo etiam, ut omni de libris Lucretianis iudicio neque minus criticae in Lucretio adhibendae aliquantum prospiciatur, fieri poterit.

CODICUM DESCRIPTIO *).

Forbigerus, qui in dissertatione sua a pagina 90 inde interpolationem, altero post Christum saeculo institutam, codicum nostrorum natura et condicione confirmatam exponere susceperat, genuinae carminis formae reliquias in aliis codicibus alias exstare censuit. Quod, quamuis confidenter prolatum, codicum natura neutiquam confirmatur: quam Maduigio duce tum ideo breuiter significabimus, ut Forbigeri in hac disputationis parte leuitas et mala fides appareat, tum propterea, ut, quibus tandem monumentis in iudicio de uersibus obscuratis faciendo summam auctoritatem ipsi tribuamus, elucescat.

Titus Lucretius Carus, quem Quinctilianus difficilem appellauit, ob ipsam eam difficultatem a saeculo post Chr. altero tertioue inde perpaucis lectitatus esse uidetur. Fortasse idem, quod alii antiquiorum poetarum, perpessus non iam totus uerum, disputationibus obscurioribus abscissis, truncatus in plerorumque omnium manibus circumferri solebat. M. Antoninus saltem a magistro integros Ciceronis, aut Catonis, aut Sallusti, aut poetae alicuius libros, Enniana et Lucretiana excerpta petiit **). Praeter Nonium Macrobius et Seruius, cui Epicureae doctrinae fons primarius est, saepissime Lucretium laudant; Lactantius doctam et copiosam contra eum disputationem instituit. Plerique ter quaterue ad summum eum producunt neque desunt, quos aperte poetam ex priorum grammaticorum libris adhibuisse arguere possimus; ueluti Isidorus locos, quibus ad Lucretium respicit, tantum non omnis e Seruio deprompsit. Quin ipse uenerabilis Beda talem uersum Lucretio adscribere non iam dubitauit: „quae calidum faciunt aquae tactum atque saporem.“ Laticis, scribere debebat, uerum non scripsit; cf. modo eius uerba: (de metr.

---

*) Uersus secundum editionem Eichstaedtianam laudati sunt.

**) epp. ad M. Anton. L. I, 2 (Front. epp. ed. Nieb.) Mitte mihi aliquod, quod tibi disertissimum uideatur, quod legam; uel tuum, uel Catonis, uel Ciceronis, aut Sallusti, aut Gracchi, aut poetae alicuius, *χρήζω γὰρ ἀναπαύλης* et maxime hoc genus, quae me lectio extollat et diffundat *ἐκ τῶν κατειληφυιῶν φροντίδων*. Etiam si qua Lucretii aut Ennii excerpta habes *εὔφωνα καὶ* ...... *φρα* et sicubi *ἤθους εὐφράσεις*.

p. 2375 ed. Putsch.) „nam et uocalem breuem, quae q et u et uocali qualibet exciperetur, uoluere esse communem, ut Lucretius.“ Locus ad eos pertinet, quibus Lucretius, arcana naturae tradens, eorum magister factus est, qui uersuum nitorem minime curabant. Alibi uero nusquam Beda Lucretium laudat eo loco excepto, quo plane Diomedem exscribens Lucreti carmina inter exegetica et didactica recenset. cf. Diomed. p. 480 et Bed. p. 2381.

Quod cum ita sit, codices praeter unum omnis saeculo p. Chr. VIII aut VIIII perisse mirum non uideatur neque, quamquam saeculo X aut XI aliquoties describebatur, Lucretius multos lectores nactus est. Inter libros, qui medio aeuo ad legendum commendabantur, quantum equidem comperire potui, non refertur et in Italia postea demum iterum innotuit, quam a Poggio Bracciolino siue potius ab eius collega Bartholomaeo de Monte Politiano integer in Germania repertus Florentiam missus est*). — Sed, ut ad rem redeamus: codices, quos adhuc cognouimus, omnes, quorum nullus saeculum X superat ex uno eodemque codice archetypo manauerunt. — Quod ut demonstraret, aptissimum ex lacunis omnium codicum communibus petitum argumentum Maduigius in dissertatione protulit, neque id silentio praeteriit, quod addi debebat, etiam miras uerborum corruptelas in antiquissimis libris prorsus easdem, in recentioribus simillimas exstare. — Lacunas Maduigius has indicauit: I, 861 (ed. Eichst.); III, 835; VI, 608; III, 614; I, 1012; II, 164 quibus sex locis (quorum duos Siebelisius in Bergki et Caesaris ephemerid. antiquar. (Z. f. A. 1844. September,) iniuria adhibitos dixit, VI, 608; III, 614; tertius, I, 1012 dubitatione non prorsus uacat) alios addere poterat, uelut III, 98 quem uersum, ab omnibus sinceris libris omissum, Wakefieldius iniuria haud ita necessarium dixit; et, qui copiosiore disputatione egent, quarti libri (cuius exordium corruptelis scatet) locos duos, alterum, quem de uersibus repetitis disputantes infra illustrabimus, ante u. 217, alterum, de quo dispu-

*) cf. descript. Bibl. Laurent. Plut. 35. Lucretii poema a Poggio Bracciolino siue potius ab eius collega Bartholomaeo de Monte Politiano integrum in Germania repertum ac Florentiam missum fuit ad Nicolaum Niccolum, ut pluribus in locis ostendit in egregia Praef. ad Ambrosii Camald. Generalis uitam cl. Lau. Mehus., Petr. Cand. in praef. ed. Iunt. (cf. praeterea adn. 15).

tationem, quantum fieri poterat, succinctam, hoc loco addemus, post u. 125 deficientem. — Lucretius, posteaquam simulacra a rebus mitti docuit, pertenui figura ea constare u. 109 exponere suscepit:

Nunc age quam tenui natura constet imago
percipe cet.

Cuius rei ut fidem faceret, uniuersa primordiorum tenuitate adhibita, alterum exemplum his uu. protulit:

Praeterea, quaequomque suo de corpore odorem
exspirant acrem, panaces, absinthia tetra
abrotonique graues et tristia centaurea,
quorum unumquiduis leniter si forte duobus
quin potius noscas rerum simulacra uagari
multa modis multis, nulla ui cassaque sensu.

qui uu. quantopere proba sententia careant uel unusquisque intelligit. Editores coniecturis audacissimis locum sanasse sibi uidentur:

quorum unumquiduis leuiter si forte ciebis (mouebis)
quam primum noscas cet,

uersibus (a u. 175) his arcessitis:

quorum quantula pars sit imago, dicere nemo st,
qui possit neque eam rationem reddere dictis.

quod utrumque contra codices factum est, utrumque sententiae parum prospicit. Etiam coniecturis receptis, ne disputatio impedita et iusto obscurior, quin imo inepta quodammodo efficeretur, caueri non potuit. — Audias modo sententiam coniecturis effectam puram et genuinam: si rem, quae odorem a se mittit, aliquam ciebis, rerum simulacra multa, modis multis, nulla ui cassaque sensu uagari nosces. Uerum, si talia ciebo, sane odores dimitti sentiam, minime uero simulacra, quorum nomine Lucretius odores aut sapores aut similis res nusquam significauit, neque sua sponte aut nulla ui sed ipsius cientis ui eas dimitti nosces, neque, cur sensu cassa sint, inde disces. — Haec sine dubio neutiquam inter se coniungi possunt, ac, si quis tantam obscuritatis molem in Lucretium inferre audeat, ne summam simul iniuriam ei inferat, utique timeo. Accedit, quod codicum auctoritas ei deserenda est. Profecto minor est audacia eius, qui lacunam in codicibus inesse statuit, neque desunt, qui statuerint, uelut Hauerkampus, quem Wakefieldius sequitur a Gassendo pen-

dens ideo, ut relicuis interpolationibus receptis u. 125 codicum scripturam seruaret, talem u. excidisse dixit:

contrectes digitis, digitis exinde duobus.

uerum neque talis uersus neque omnino unus sed plures exciderunt. Lucretius, primordiorum imaginis tenuitatem, ut uidimus, exponens, rem, uti solenne est, exemplis gessit: hanc ob rem primordia afferuntur minima et quae cerni nequeant, hanc ob rem odores, non quod in simulacrorum numero poeta eos poneret (quemadmodum Gassendus statuit) sed quod odores figura eiusdem tenuitatis constare perhibuit. Idque iure perhibuit et lectoribus a u. 125 inde hoc fere modo exposuisse uideatur: Alterum summae tenuitatis exemplum, quo, quam tenui figura simulacra constent, diuinare possis, hoc est: res acrem odorem exspirans, si forte leuiter duobus digitis teritur, quamuis ipsa non admodum minor fiat (nam leuiter tantum teritur) neque corpora demittat, ullo modo ad oculorum sensum cadentia, uastum spatium odore implet *). — Haec, quibus corpuscula odorem cientia (constat enim odor, quippe quo sensus tangatur, corpusculis sed minumis; cf. III, 225 sq.) minuma, incredibili fere tenuitate constantia, Lucretius descripsit, absunt a nostris libris, aut temporum iniuria, aut librari socordia omissa cum iis, quibus uu. 126. 27. iam neutiquam coniuncti tanquam clausula adiecti erant. — De duobus locis incertior mihi res est; alter est quarti libri:

Non modo enim ratio ruat omnis, uita quoque ipsa
concidat extemplo, nisi credere sensibus ausis,
praecipitesque locos uitare et caetera quae sint
in genere hoc fugiunda; sequi contraria quae sint.

---

*) quae corpuscula ideo, necubi tantum spatium odore careat, in tot et tantulas partis diuidi debent, quas poeta, imaginis tenuitatem non copiosa argumentatione sed exemplis exponens, apte h. l. adhibere possit. Si quis, in Lucretio parum uersatus, argumentationem non absolutam dicat, quippe qua odorum corpuscula neque uero imaginum tantilla esse doceamur, a Lucretio disputationem plerumque ita institui respondeam, ut simili re allata similem, uti dixisset, ita se habere docuisse sibi uideatur. — Uersus ceterum, quos Aldinae prioris editor primus arcessiuit, ad disputationem de imaginum tenuitate rite absoluendam aptissimi neque ab eo, quo iam leguntur, loco non nimis alieni uidentur; at ne loco moueantur id defendit, quod hac in disputationis parte non modo librarius, uerum ipse Lucretius quoque nonnunquam dormitauit.

Illa tibi est igitur uerborum copia cassa
omnis, quae contra sensus instructa parata st.

u. 511, aperte spurius, non nisi in libris interpolatis reperitur. Quo sublato omnis locus mancus uideretur, nisi forte analogia u. LII, 1085 adhibenda esset:

Quapropter caelum simili ratione fatendum st
terramque et solem, lunam, mare, caetera quae sunt,
non esse unica tc.

Alter libri II hic est: (529)

Quod quoniam docui, nunc suauiloquis ego paucis
uersibus obtendam cet.

qui uersus, a solo Pio omnium infidelissimo teste exhibitus, (nam quod Wakef. dixit, etiam in cod. Uind. cum inueniri, id errore dixit) ad molliorem sermonis continuationem interpolatus, Wakefieldio superuacaneus uidetur; aliis fortasse secus.

Ad eandem porro rem pertinent lacunae uocabulorum, a librariis interpolatoribus partim expletae, uelut II, 684:

Denique multa uides, quibus et color et sapor una
reddita sunt cum odore, in primis pleraque dona,
religione animum turpi quom tangere pacto.
Haec igitur uariis debent constare figuris:
nidor enim penetrat, qua sucus non it in artus,
sucus item seorsum sapor insinuatur
sensibus.

Haec enim est (si uersum 681 excipias, de quo particularis disputatio institui debet) optimorum librorum scriptura. Pius: s e o r s u m q u a n o n s. ed. Uer. s. q u a s. cdd. Wakef. 2 (*OΩ*) s e d n e c s; Wakef. Uossi supplemento recepto: „sucus item seorsum e t s e o r s u m s. i.“ restituit, eam sententiam efficiens, quam Pius reuera effecit, librarii codd. Britannicorum efficere conati sunt, prauam et ab hoc loco, quomodo iam comparatus est, alienam. Sucus nullo modo per alias corporis partis ac sapor insinuatur, Lucretio magistro, qui saporem in suco inesse statuit. cf. VI, 985 sq. II, 845; III, 224 sq. III, 787; V. 810.

Quae cum ita sint, uulgata Bipontinorum lectio sententiae potius consulere uideatur:

sucus item seorsum et r e r u m sapor insinuatur

nisi forte ideo, ne proba disputationis aequalitas turbetur, Uossi coniectura (quae e t particula remota, omnium expeditissima est) recepta, ad pusillam duorum uocabulorum mutationem fugiendum

censeas. U. 683, quo poeta causam affert, cur dona diis oblata et colore, sapore, odore insignia uariis figuris constent, denuo adhibentur, quas u. 679. 80 poeta posuit, donorum facultates: nidor enim penetrat sq. Ubi odori nidor respondet, sapori sucus nihil colori; id quod tam paucis uersibus interiectis, praesertim cum poeta fere sine ulla opera huic inconuenientiae mederi potuerit, male nos habet. Jam, quomodo haec disputationis labes remouenda sit, uideamus. Uersum 684 ne ita construas: „seorsum color insinuatur,“ mutatione iusto audaciore defenderis; in ipsa uoce c o l o r haerendum est. In donis, quae dis afferuntur sapore et odore insignia, non tam color apparet, quam quem ciunt et per auras dispergunt, calor siue uapor, quibus duobus uocabulis idem significari Eichst. in indice sub u. u a p o r innumeris exemplis te docebit. Scribere igitur uelim leuissima mutatione adhibita:

denique multa uides, quibus et calor et sapor una
reddita sunt cum odore.
nidor enim penetrat, qua sucus non it in artus,
sucus item seorsum, seorsum uapor insinuatur.

Eadem eorundem trium uocabulorum coniunctio in uersu reperitur, qui ad nostri similitudinem fere exaratus uideatur: III, 267 sq.

Sed haec incerta sunt; hoc modo constat u. 684 lacunam esse ab editoribus iniuria non indicatam et Uossianum supplendi conatum non continuo recipiendum. Eiusdem generis u. IV, 347:

continuo reuum simulacra sequuntur

ab librariis recentissimorum codicum et ab editoribus uarie interpolatus. Quin ipsa totius carminis clausula non ab omni parte integra nobis restat.

Nec mos ille sepulturae remanebat in urbe,
quo pius hic populus semper consuerat humari;
perturbatus enim totus repedabat, et unus
quisque suom pro re consortem moestus humabat.

qui versus a recentissimis editoribus ita exhibiti tribus locis ab antiquiorum et fideliorum librorum scriptura recedunt. Fragm. Uind., quod me auctore Poeschelius denuo contulit, cum cod. Lugd. 2 et Memmiano Lambini u. 1278 q u o p r i u s exhibet, lectionem ad Thucydidis uerba, quem in hac pestilentiae Atheniensis descriptione Lucretius fere totum expressit, multo accomodatiorem. cf. Thuc. II, cp. 52: *νόμοι τε πάντες συνεταράχθησαν*,

οἷς ἐχρῶντο πρότερον περὶ τὰς ταφάς, ἔθαπτον δὲ ὡς ἕκαστος ἐδύνατο. Recentiores libri aut quo pius, aut ut pius, aut huc pius praebent, lectionem librari errore ortam, qua sententia ab hoc loco aliena infertur. Ex eodem fragm. Uind. antiquissimo u. 1279 διαρρήδην notatur trepidabat quod etiam in Lugd. 2 et in Lambinianis est; repedabat recentiorum codicum lectio librariorum negligentia orta est: trepidabat: repidabat, repedabat (e et i in Lucreti codicibus sexcenties inter se commutantur). Editores recentissimi, etiam Orellius, qui omnino recentioribus suis codicibus auctoritatem aequo maiorem tribuit, repedabant exhibent, quod uerbum a Festo, uti par erat, recedendi uerbo explicatum h. l. ineptissimum esse non negabis. Jam hoc uerbum, in quo defendendo et illustrando editores inanem operam collocauerunt, a Lucretio exulet, neue iam ab hodiernis lexicographis poetae Epicureo sed Pacuuio, Lucilio, Ammiano et poetis Christianis attribuatur. — U. 1280 in fragm. Uind. ita scriptus est:

quisque suom pro re maestus humabat

quemadmodum legitur etiam in cod. Uind. integro saec. XV, Brit. 1; editt. Brix. Uer. — Ald. I et qui eam secuti sunt, cognatum praebent, cod. Brit. 3: complorans. Hauerkampum, qui de suis codicibus nihil refert, ex more dormitauisse librorum Uindobonensium et editionum principum auctoritate arguitur, quibus inter se consentientibus Lugdunensis et Bodleianum non dissentire certum est. consortem, quo uocabulo in codd. interpolatis Orellianis tribus, Brit. 2, Cantabrigiensi, Pooriano, lacuna cod. Archetypi repletur, iusto ieiunius est, fere ieiunius, quam Auanci commentum: cognatum. conplorans, cod. Brit. 3 scriptura, quae profecto eiusdem, cuius uolgo recepta, auctoritatis est, propter foedum pleonasmum displicet. Lucretius ad similitudinem u. 1237:

nam quiquomque suos fugitabant uisere ad aegros

fortasse ita scripsit:

quisque suom pro re defunctum maestus humabat

defunctus hac sententia praeter Uergilium etiam apud Ouidium reperitur. Amor. I, 8, 108:

Saepe mihi dices uivae bene; saepe rogabis,
ut mea defunctae molliter ossa cubent.

Corruptelarum, quas ad communem unum archetypum demonstrandum idoneas dixi, maiorum exempla haec sunto: L. I u. 1022 in antiquissimis monumentis haec leguntur errore expedito:

Nam certe neque consilio primordia rerum
ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt
et quos quaeque sagaci mente locarunt.

quae editores, ad locum (L. V, 420) repetitum allegantes, iuste ita restituerunt:

et quos quaeque darent motus pepigere profecto.

Recentiores librarii uel homoeoteleuto seducti, uel uersum sensu carentem odio persequentes u. 1023 omnino omiserunt. Idem cadit in II, 464 de quo infra dicemus. L. II, 1169 antiquissimi codices hoc praebent:

tristis item uetulae uitis satos atque fatigat
temporis incusat numen caelumque fatigat.

Librarius pari modo, quo L. I, ab altero uersu in alterum describens deerrauit. Recentiorum librorum librarii homoeoteleuto iterum seducti u. 1170 omiserunt. De III, 595 infra disputabimus. L. IIII, u. 547: „et ualidis nece tortis ex Heliconis," de quo u. editores conferas.

Similis omnium, quotquot adhuc collati sunt, codicum corruptela reperitur L. III, u. 119:

Nunc animam quoque ut in membris cognoscere possis
esse neque harmonia corpus interire solere.

Editores ab Avancio inde omnes alterum uersum ita exhibuerunt: e. n. harmoniam c. retinere s., quod quam falsum sit, retinendi sententia prorsus otiosa, per se liquet. In coniecturam, quam me nescio Wakf. mihi praeripuerat, certissimam hanc incidi, fragmenti Uind. lectiones examinans:

esse neque harmonia corpus sentire solere.

Animone enim atque anima an harmonia corpus sentiat quaeri uu. 99 sq. docemur.

Wakf. coniecturam, de qua nimis ipse dubitauit, (alteri enim, quae inuento Auanciano nititur, eam posthabuit) haud ita feliciter comprobare conatus est. cf. eius adnotationem, qua quomodo corruptela oriri potuisset, recte indicauit. Obscurissimus locus est VI, 48:

quae restant, percipe porro
quandoquidem semel insignem conscendere currum

uentorum exirtant placentur omnia rursum
quae fuerint, sint placato conuorsa fauore.

Quos uu. uarie temptatos Forb. ita construxit:

uectorem exhortant plaudendo ut obuio cursu
quae fuerint, sint placato conuorsa fauore.

At ne de aliis dicam: Lucretius utrum priores libros ante totum opus absolutum in publicum emiserit, annon emiserit, parum constat. De loco desperato hoc modo addi liceat: in explicanda codicum corruptela „ut omnia rursum" omnem operam adhuc inanem fuisse. Librarius etiam hic ut alibi in alterum uersum deerrauisse uidetur: rursum nihil est nisi repetitum currum; aut contra aut tale quid ab apicibus codicum etiam remotius ibi exstitit: ut omnia, contra quae fuerint cet. — Ultima iam, quae ad communem omnem archetypum demonstrandum afferatur, corruptela sit u. VI, 748; qui u. a Salmasio ingeniose restitutus in antiquissimo fragm. Uind. ita scriptus reperitur:

. . . o . . . est cumas aput e eris ui per montes.

Haec de codice archetypo mutilo et corrupto. Iam libro, cuius iterum apographus *) est, ipsi uersus, in textu, quem dicunt, omissos in margine adscriptos fuisse uulgari uersum transpositione et repetitione apparet, quae, nisi a librario cod. archetypi **), uersibus ad marginem adpositis decepto ortae sunt, unde originem duxerint, neutiquam erui potest. Transpositionum recensum, qui etiam augeri potest, Siebelisius offert (Z. f. A.). — Repetitionum praeter locum, quem infra tractabimus, exemplum hoc esto: Lucretius, ut Lunam tantam fere esse doceret, quantam ipsi uidemus, haec posuit L, V, 581:

quapropter luna necesse st,
quandoquidem claram speciem certamque figuram
praebet, ut est oris extremis quomque notata,
quanta quoque quanta est hinc nobis uideatur in alto.

Haec antiquissimorum codicum scriptura aperte corrupta est

---

*) Aut ipsum cod. Arch. aut, quem repraesentet, librum Langob. characteribus exaratum fuisse, uitiorum nonnullorum ratione, quae potissimum per antiquissima monumenta propagata sunt, nobis persuadetur.

**) qui, quamuis ab omni fraude alienus, inter prudentissimos et diligentissimos non referendus est.

et ab editoribus uarie temptata: Preigerus Mureto et Lambino obtemperans scripsit:

quanta quoque haec fuuat, tanta haec u. i. a.

Wakf. quanta quoque est, quanta, hinc nobis u. i. a. Eichst. et Forb. quantaque quanta est, h. n. u. i. a. alii aliter, omnes decepti. Ad uerum adducit u. quem cdd. Lugd. loco prorsus alieno p. u. 595 ponunt:

quanta quoque est, tanta hinc nobis uidetur in alto.

Modo ne uidetur, sed uideatur scribas. Hic ut alibi librarius uersum praeter genuinum locum etiam ibi posuit, ubi neutiquam ferri potest.

En igitur tertia causa, qua communem omnium codicum archetypum arguere possimus. Quarta, accurata codicum collatione perfecta, ex titulis peti poterit, quos ex ed. Uer. et fragm. Uind. diligenter descriptos in relicuis omnibus libris eosdem esse lemmate omnium communi (I, 705) doctus sum.

Cum iam omnis nostros libros e uno Archet. descriptos uiderimus, et Forbigeri de codicibus sententia omnino corruit, et quibus tandem monumentis summa auctoritas tribuenda sit, efficitur. Iis attribuenda est, qui quam religiosissime Archet. illum repetunt. Ex nostris (nostros uero eos codices dico, qui accurate satis collati sunt) tres libri antiquissimi, cum artissima inter se cognatione cohaereant neque ullum emendandi studium aut maiorem in euanidis litterarum apicibus explanandis licentiam prodant, uetusta scribendi ratione aeque atque iis mendis, quae ex charact. Langob. originem ducunt, fidelius seruatis, a codice Arch. parum abesse uideantur. — Maduigius in egregia dissertatione, de lacunis in Lucreti codicibus scripta, duos nominauit: fragm. Gottorp. et cod. Lugd. 2; tertium Siebelisius addendum esse suspicatus est, fragm. Uindobonense. — Fragm. Uind., quod Uindobonae iterum conferendum curaui, ut de putida Alteri negligentia taceam, ne ab Endlichero quidem integrum descriptum est*). Cod. a fol. 9, a, 1—9, b, 1 med. uersus continet L. II, 642—754; sequitur u. 806—1171 (fol. 11, b, 1 med.);

*) Quod Endl. dixit, VI libri fragm. diuersa manu exaratum esse, recte dixit; addere debebat, etiam in III libro hanc alteram manum apparere eodem uitiorum genere eademque characterum ratione, quae a Carolo M. nomen duxit, remanentibus.

extremus u. uerbis his excipitur: Titi Lucetii de rerum natura liber II explicit. Incipit Lib. III. Sequuntur deinde u. L. III, 1—621. Desinit fol. 14, b, 1. In noua plagula sine ulla inscriptione notaue primus u. est VI, 743 (quinque priores uu. ab initio euanidi sunt) atque leguntur tum deinceps relicui sexti libri uersus, quorum ultimus (f. 17, b, 1) uerbis praecedit his: Titi Lucretii Cari de rerum natura lib. VI explicit Lucre . . . . sesund . . . . (Relicua Poeschelius legere non iam potuit.) Liber igitur, quod non una re apparet, olim integer fuit. Iam eadem plagula sequuntur II, 751—803, quos uersus supra omissos esse uidimus et V, 926—974; sequenti plagula (f, 18, a, 1 et 18, a, 2) I, 753—84 et II, 253—300, quae duo extrema fragmenta in Gott. et Lugd. 2 omnino desiderantur; II, 756—803 in fine Lugd. 2 additi leguntur. De uu. V, 926—974, ad quos uariae Lugd. 2 lectiones adscriptae sunt, Hkp. nihil refert, rem minutiorem, quamuis antea eam commemorauerit, silentio praeteriens. In relicuis libris iis, quorum accuratiorem collationem possidemus, iam in ordinem hi uu. reducti sunt. Etiam in fragm. Uind. ad u. L. I, 755 signum adpictum est, quo sine dubio, ut lacunam expleamus, monemur.

Tribus his libris, quos artissime inter se cohaerere etiam exteriore quadam re intelleximus, ex Lambinianis *) duo quam proxime accedunt: Bertinianus et Memmianus. Uaticanus, quem Lambinus ipse una cum Mureto Romae contulit, archetypo, ut uidetur, probo et integro nitens a uiro docto et eleganti sed iusto sagaciore passim interpolatus uidetur. Lugd. 1, utri librorum generi, sincerisne et integrioribus an recentioribus et deterioribus adscribendus sit, propter nimiam Hauerkampi in recensendis lectionum differentiis inconstantiam nondum mihi liquet. Deterioribus tamen, quomodo iam res comparatae sunt, eum adscribi malim; nam quod Hauerk. eum aeque ad Lugd. 2 uetustissimum dixit, parum accurate dixit. Uel ipsa chartarum forma nimis differt: fragm. Uind. et Lugd. 2, uterque liber, in quarto

*) Forb. de indole et bonitate codicum Lamb., qua singuli inter se differrent, e paucis illis locis, ubi Lambinus codicum lectiones accurate indicaret, certum iudicium ferri posse inconsulte negauit. Notarum Lamb. molem excutere nolebat uir delicatulus, quam et Lucreti causa et propter summam Lambini auctoritatem accurate neque solo Wkf. duce examinare debebat.

sed maiore et quidem per columnas scriptus est; Lugd. 1 in folio. Ne interpolationibus quidem liber omnino uacat; uersus saltem III, 962, qui in cod. Lugd. 2 omittitur: — eadem tamen omnia restant,

omnia si pergas uiuendo uincere saecla,
atque etiam potius si nunquam sis moriturus.

quamuis ab editoribus omnibus (etiam ab Orellio) exhibitus, non Lucretianus sed inepti interpolatoris esse mihi uidetur. In Lugd. 1 rubrica notatur. Difficilior est quaestio de u. III, 918

Tu quidem, ut es, lecto sopitus, sic eris aeui
quod superest, cunctis priuatus doloribus aegris.
At nos horrifico cet.

Qui u. ab eodem Lugd. 2 omissus et in Lugd. 1 rubrica notatus, cum Lucretiano dicendi mori non aduersatur tum necessarius hic quodam modo esse uideatur. Sed leui unius uocabuli differentia ita fortasse olim scriptum erat:

Tu quidem, ut es lecto sopitus, sic eris aeuom.

aeuom, uti solenne, aeuo scriptum facile in aeui transire potuit. Uersus, qui ad tuendum hunc aeuom uocabuli usum adhiberi possint, hi sunt: III, 357 sq.; V, 1441 sq.; I, 550; 584 950. Ad horum uersuum exemplum de u. 615 iudicandum erit:

Denique cur animi nunquam mens consiliumque
gignitur in capite, aut pedibus, manibusue cet.

qui u. a fragm. Uind. et Lugd. 2 omissus, quod a Lucretio scribi non potuerit, nihil continet. Animi mens, quod primo obtutu offendere potest, etiam alibi dictum reperitur: IIII, 760; V, 150; VI, 1182.

Ceterum, ne quid simulare uidear, etiam alibi in aliis sinceriorum librorum uu. et uocabula omittuntur, in aliis adsunt.

Codices, quos primo loco nominaui, quinque, Gottorp. fragm. Uind., Lugd. 2, Bertin. Memm., quantum inter se differant, collatio Hauerkampiana et Lambiniana accuratior docebit.

Alterius generis codices omnes saeculo XV scripti esse uidentur, quo tempore hominibus Italis, ad antiquarum litterarum studium denuo reuocatis, Christianorum doctrinam ethnica permutare placuit. Necessario enim tum Lucretius, acerrimus ille religionis aduersarius, insigni cum diligentia et legebatur et describebatur. Hinc omnes, qui in Bibl. Laurentiana asseruan-

tur*), Lucreti codices 8 saec. XV scripti sunt. Eodem saeculo cod. Uind. CXII scriptus est; eodem cod. Basileensis, Ambrosianus E, tres Romani, qui in bibliothecis Angelica, Gregoriana, Balberina exstant, codd. Britannici 1. 2 et qui ex bibl. Angl. priuatis a Haenelio recensentur. Cod. Brit. 3 et cod. Poorianus non multam uetustatem iactat. Ad eandem profecto aetatem etiam relicui huius generis libri referendi sunt: cod. Cantabrigiensis, cdd., quos Lambinus Romae contulit, Tettianus et Faernianus, Ambrosianus Orelli alter, littera Z insignitus, codd., quorum quasi apographi editiones principes sunt: Brixiensis et Ueronensis. — Qui libri omnes ex eo exemplari deriuati uidentur, quod Bartholomaeus de Monte Politiano, cum Poggio Bracciolino tempore concili Constatiensis in Germania uersans, ex Germania idque fortasse ex monasterio Santogallensi**) ad Nicolaum Niccolum misit, cuius liber ipsius manu scriptus etiam hodie in Bibliotheca Laurentiana asseruatur***).

Qui archetypus, cum miser habitus esset †) neque philologi tantum, uerum etiam principes, uiri nobiles et elegan-

---

*) Inani prorsus, ut hoc commemorem, spe seductus in editionis praefatione Forb. se „codicum Florentinorum collectionibus acquisitis aliam eamque maiorem Lucreti editionem in noua recensione critica fundamentum“ curaturum esse promisit. A uera profecto ratione is, qui codd. Laurentianis saec. XV scriptis Lucretium restituere suscipit, non minus remotus est, quam qui ullam in libris Britannicis auctoritatem inesse statuit.

**) Etiam Ualerius Flaccus et Silius Italicus a Poggio Florentino Constantiam proficiscenti in monasterio St. Gallensi reperti et in Italiam missi sunt. cf. Drakenborch. ad Sil. Ital. praefationem.

***) Descrpt. Bibl. Laur. Plut. 35. cod. 30: T. L. C. de R. N. LL. 6. in cpp. distincti cum summariis, quae quum in ora paginarum adscripta essent, bibliopegi incuria semirecisa apparent. Hunc autem L. codicem scriptum esse manu Niccolai Niccoli innuit celeberrimus Mehus in Praef. ad Ambros. Camald.

†) Maiores lacunas indicabo. III, 765 om: Lugd. 1. Bodl. Uind. Brix. Ueron. Brit. 1. 2. 3. Poor. III, 820—29: B U β b Δ Π Σ O Ω; III, 594. 95 iidem. IIII, 534 omnes omittunt praeter Lugdunensis, si quidem in iis exstat. II, 1168 om. Bodl. (B) Brix (β) Uer. (b) Uind. (U) Brit. 1. 2. 3 (Δ Π Σ) Poorian. (o); in Cantabrigiensi (Ω) exstat; IIII, 514 B U β b Δ Π Σ; V, 1011: U O Δ Ω β b; I, 1022: B Π O β b ob homoeot. (in U Δ Σ exstat); I, 157. 58 om. B β b U Π ob homoeot. transpon. Ω. — I, 1067—72 uersuum clausulae desunt in U β b O Δ Π Σ,

tes*) poetae Epicureo operam darent, et leuiores emendationes et interpolationes, ut lectu facilius carmen fieret, susceptae sunt et maiores audacioresque eae, quae in codicibus Britannicis reperiuntur **).

Dispositis uero librorum Mss. generibus omnis critici opera in unius cod. Archetypi scriptura inuenienda debet uersari. „Constituta enim (ut egregia Maduigi uerba adhibeam) codicis Archet. scriptura aut uerum tenetur, aut si cum hac auctoritate ratio pugnat, id, a quo omnis ueri inuestigatio proficisci debet. Quidquid autem apparet in cod. archet. non fuisse, id aut mendi loco habendum est aut coniecturae postea temptatae, quae potest interdum esse consideratione digna.“ Quod cum ita sit, in restituendis Lucreti uerbis membranae, quas alteri generi adscripsimus, omnes non nisi ad subsidium adhibendae sunt neque ullo modo excusari possunt editores, qui in locis difficilioribus scripturam horum codicum, quamuis speciosam, tamen singularem amplectentes relicuorum librorum auctoritatem deseruerunt. Quidquid in illis monumentis nouum reperitur aut incuria, aut licentia audaciaue librariorum ortum esse solet. Exempla huius rei haec sunt. — Insignis est lectionis uarietas II, 464:

> Sed quod amara uides eadem, quae fluuida constant,
> sudor uti maris est, minume mirabile quoiquam.

---

in Ω coniectura satis inerudita reficiuntur. De Bodl. Hakp. nihil refert. Uocabulorum lacunas et coruptelas, quae multae exstant, nonnullas infra adhibebimus.

*) Plerique codicum Florentinorum omnes nitidissimi et pulcherrimi sunt. Unus (28) „ornatissimus et elegantissimus cum stemmate familiae cuiusdam in principio, titulo operis aureo et litteris initialibus singulorum librorum mirifice pictis.“ Cod. 25 Laurenti de Medicis erat; cod. 26 Petri de Med. — Etiam Uind. CXII elegantissimus est.

**) Interpolationes minime in omnibus his codicibus eaedem sunt, neque omnino certo consilio institutae; uel cf. uu. temere inculcatos IIII, 511 in ΔΠΣΟΩ; II, 164 in ΔΠΣ; II, 1138 in ΔΠΣ; IIII, 101 ΔΠΩ; I, 1091 Δ; I, 861 Π; III, 98 Σ. Editiones, quae Brix. Uer. Uenet. I secutae sunt, partim interpolatos codices sequuntur (uelut iam Ald. I in III, 98; II, 1138; IIII, 513 interpolationes admisit) partim nouas aduexerunt, uelut I, 1094 (de quo u. sicut de I, 1091 Siebel. cf.); III, 614 (Ald.) et III, 835 a Pio factus, de quibus Madu. et Sieb. cf.; III, 829 et III, 866 qui uu., uterque iam in Ald I interp. a nullo cd. exhibiti adhuc editiones obsident; IIII, 128. 29 (Ald.); V, 31 et 32 (Ald.); VI, 607 (Junt.) cf. Maduig.

Haec est Wakefieldiana asseclarumque scriptura. Cdd. Lugd. (nam fragm. Gott. iam desiit) et Lambiniani quidam debet praebent, relicui Lambini libri et ed. Uer. cuiquam. De Bodl. et Britt. 5, quos omnis aeque ac Uind. et Brix., in quibus uocabulum deesse distincte refertur, uocabulo carere propter Lambinianorum et ed. Uer. consensum haud credibile est, editorum adnotationibus plane nihil docemur. Cuiquam, quod Wkf. recepit, et ab antiquiorum librorum scriptura nimis recedit et alienam sententiam inducit. Rem enim, quam, utpote nouam, ob id ipsum, quod miram eam alicui uideri posse intellexerat, Memmio expediebat, poeta nemini mirabilem apte dicere non potuit, sed quam iniuria Memmius miraretur. Multo magis, quippe quae, ne Memmius miretur, exhortationem quandam significet, ea placet lectio, quam Marullus coniectura effecit: minime id mirabile habendum st; quemadmodum praeter alios locos etiam IIII, 257 legitur:

Illud in his rebus minume mirabile habendum st.

Dummodo ne lectio ab optimorum librorum scriptura nimis recedat *). De loco desperandum est; aut u. excidit ad similitudinem u. L. V, 665 compositus:

Nec tamen illud in his rebus mirabile debet
esse.

aut corruptela admissa est omnibus coniecturis superior. Certe quod Lambino placuit „mirari debes“ id coniectura in poetae uerba inferri nolim. Fortasse crede aut rere Lucretius scripsisse tibi uideatur; equidem, ne lacunarum iusto nimis amans uidear, rem in medio relinquam. — Eiusdem modi etiam alter locus est; III, 591 sq.:

Quin etiam finis dum uitae uortitur intra,
saepe aliqua tamen e causa labefacta uidetur
ire anima ac toto solui de corpore omnia membra
et quasi supremo languescere tempore uoltus
molliaque exsangui cadere omnia corpore membra.

Haec est lectio fragm. Uind. cdd. Lugd. 1. 2. Desunt uu. 594 et 595 in codd. Bodl. Uind. Britt. 1. 2. 3. edd. Brix. et

*) Forb. hanc lectionem in cod. Bodl. et in Pii libris inesse existimat, utrumque iniuria. Bodl. tanto opere ab ed. Uer. nusquam recedit neque omnino accurate ab Hrk. describi solet; e Pii libris cuiquam adscriptum est.

Uer. Loci sententia per se clara in u. 593 corruptelam inesse nemo non uidet. Lenissima priorum editorum medela, qua, ad u. 595 (quem ab optimis libris oblatum Lambinus iniuria damnauit: non, quantum par erat, respicientes omnia delebant, iuste contempta Wkf. duas coniecturas proposuit, quarum altera: „ac toto membratim corpore solui“ nimis audax est; altera, quam Eichst. et Forb. receperunt: solui de corpore mentem intelligi mihi nequit. Nullo enim pacto, ut mentem uidetur de corpore solui a Lucretio scriptum putarent uiri, fieri poterat neque res explicari potest, nisi elegantia quadam, quae in hac lectione lateat, Wakefieldio et Forbigero adamata et meo intellectu longe superior. — Iam a talibus hariolationibus abstinendum est. Librarii u. 595 decepti alienam prorsus rem in u. nostrum intulerunt. Ire anima nude dictum apposito eget, quale: labefacta uidetur ire anima ac toto solui de corpore raptim. Raptim eadem qua repente sententia Lucretius quinquies posuit; cf. Eichst. uel potius Behrmanni Holsati indicem. Anima, per totum corpus dispersa, eodem modo quo membra cum relicuo corpore coniuncta, eodem modo solui potest; cf. II, 950 cet. Locus ex iis est, quibus unum omnium nostrorum codicum communem Arch. fuisse apparet et ipsa familiarum ratio demonstratur. Corruptela illa in u. 593 antiqua est, eaque ut librarius, qui librum alterius generis Archet. scripsit, homoeoteleuto seductus uu. 594 et 595 omitteret, effectum. Iniuria igitur Wkf. uersus duos propensissime se plaudente in codd. deterioribus omissos esse profitetur. In ed. Brix. u. 593 ab aliis libris longe diuersus ita exaratur:

ire anima ac toto solui de corpore membra.

idque non propterea, quod editor meliore codice usus est, sed quod prauam codicis lectionem, quantum poterat, emendauit. Summus eorum error est, qui edit. Brix. e codice multo meliore quam Ueronensem exscriptam esse tradunt *). Codex est

---

*) Forb. praef. p. XXXIIII: „editio princeps e codice optimo typis exscripta est.“ Orell. Eclog. praef. p. III: „Brixiensem e melioris notae codice ductam esse perceptum habeo. Ex alio autem libro uitiosiore fluxit Ueronens.“ Weber. corp. poet. lat. notit. litter. p. XVIIII: „Editionum Lucretii princeps est Brixiens. e codice praestanti expressa; Ueronensis longe minoris quam princeps pretii.“

eiusdem utique notae, quamuis non idem sed integrior sine dubio et lectu fortasse facilior; editor uero multo doctior et prudentior editore Ueronensi, qui permulta codicis menda innumeris etiam auxit. Omnes alterius generis communes lacunae et corruptelae in utroque libro reperiuntur, singulares uero relicuae eiusmodi sunt, ut ed. Brix. ad cod. Uind. et codd. Brit. archetypum, ed. Uer. ad cod. Bodl. proxime accedat. De maiore harum editionum pretio inanis lis est; hoc codicum genus tanto opere fluctuat, ut, quem optimum uocemus, interpolationum maiorum ratione non habita disceptari nequeat. Hoc certum est, summa cum cautione omnis eos adhibendos esse et corruptelam intactam relinqui fere praestare, quam sola deteriorum librorum auctoritate leuatam exhiberi. — Coniecturas librarii interpolatores non solum in lacunis et corruptelis omnium librorum communibus, uerum etiam ibi adhibuerunt, ubi miserae alterius gen. Arch. condicioni mederi studebant. Eiusmodi locus est, quem summo sibi ingeni acumine Forb. restituisse uidetur. L. I, 488 in cod. Gott. Lugd. 1. 2. Bertin. Memmian. Faern. Tett. ita legitur:

Etsi difficile esse uidetur credere quicquam
in rebus solido reperiri corpore posse.

cod. Uat. Brit. 1. 2. 3. Pius. Ald. I: e. uidetur fors ita quicquam. cod. Uind. ed. Brix. Uer. E. d. esse uidetur forsitan quicquam. — Cod. Bodl. quicquam difficile uideatur forsitan esse. Brit. 3 et Poor. in marg. forsit. et qu. etsi diff. esse uidetur. Britannicorum lectionem, quam ueram esse Wkf. opinatur, Forbigerus in textum recepit his uerbis illustratam: „— quam lectionem, a tot libris summae fidei suppeditatam, ut uulgari, ab omnibus editionibus recentioribus seruatae, credere nimirum, postponerem, a me non potui impetrare, imprimis, quum facillime intelligi possit, quomodo haec uulgata genuinae scripturae substituta sit. Explico autem locum ita: Etsi difficile uidetur (intellectu) in rebus (creatis) quidquam reperiri posse, quod fors (fortuito, solo casu) ita solido (tam solido) corpore praeditum sit.“ At neque fortunae neque casus hic ullus locus est*): librarii credere aut corruptela aut lacuna submersum reperientes forsitan refecerunt, quod alii loco mouerunt, alii eodem consilio,

---

*) praua recentiorum librorum scriptura etiam alia eaque aptiore quam Frbgri ratione defendi potest; sed ne ita quidem placet.

ne uersus claudicaret, ducti in fors ita mutauerunt, quemadmodum etiam hodie in Π fors ita: n littera erasa natum conspicitur. Uel ipsa scripturarum in recentt. libr. nimia uarietas ad uerum adducere poterat. Eadem corruptelae causa est II, 230, qui u. uulgo ita editur:

Nam per aquas quaequomque cadunt atque aera deorsum,
haec pro ponderibus casus celerare necesse st.

Lugdd. 1. 2 rarum exhibent; Gott. arum. Rarum restitui uelim, quod solemne aeris epitheton etiam h. l. propter u. 232 aptissimum est. Deorsum, uocabulum prorsus superuacaneum, nihil enim sursum cadit, ad lacunam explendam interpolatores adhibuerunt.

Alterius generis librarii fide parum digni etiam iis in locis apparent, quibus difficiliorem paulo scripturam cum faciliore commutauerunt. Exemplum praeter alios is uersus praebet, quem Wakef. ad recentiorum librorum auctoritatem exarans longa adnotatione adornauit. De paruula atomorum declinatione disserens Lucretius hunc u. posuit: L. II, 220:

Illud in his quoque te rebus cognoscere auemus,
corpora, quom deorsum rectum per inane feruntur,
ponderibus propriis incerto tempore ferme
incertisque locis spatio depellere paulum,
tantum, quod minumum mutatum dicere possis cet.

Haec est Wakef. scriptura, quam etiam Siebelisius tuitus est (Quaest. Lucr. p. 17) ad codd. Britt. 1. 3. Cant. Poor. Uind. ed. Brix. Uer. conformata. In Brit. 2 momen exstat, quod secundum Hkpi silentium etiam in Lugd. 1. 2 scriptum est, neque h. l. silentio Hkpiano Wkf. et Forb. diffidere debebant, nam ex Bertin. et Memm. a Lambino momen διαφῤῄδην notatur. Wkf. ut suam scribendi rationem defendat ad Ciceronem prouocat; de Fato (§ 20): cur atomi minimo declinent interuallo, maiore non? aut cur declinent uno minimo, non declinent duobus aut tribus? § 10: declinat atomus interuallo minimo; id appellat (Epicurus) ἐλάχιστον; Praeterea u. 244 producit:

Quare etiam atque etiam paulum inclinare necesse st
corpora nec plus quam minumum. —

Uerum haec seuera scripturae recentioris defensio inde orta est, quod genuinae lectionis scopum Wakf. non attigerat, quae ad analogiam dictionis „tantum non omnis“ explicata proba est et intellectu neutiquam difficilis: „nur so viel, dass die Bewe-

gung verändert wird.“ Momen Lucretio ubique est motus; cf. III, 145; III, 189; III, 190; VI, 474. „Tantum quod minumum mutatum cet.“ apte dici non potest, nam minumum non mutatur, sed motus.

Etiam priorum editorum opera inanis est, qui momine exiguum motum, ῥοπήν, intellexerunt, quem Lucretius nusquam momine, omnis motus significatione, indicauit. —

Forbigerus in adnotatione ad h. l. ad Wakf. errorem alterum addidit.

Ceterum etiam in hos codices cadit, quod Maduig. professus est, coniecturas postea temptatas consideratione nonnunquam dignas esse. Huiusmodi est, quod interpolati libri genitabilis restituerunt (Lib. I u. 11); huiusmodi etiam, quod I, 722 genuinam lectionem diuinando effecerunt:

Quorum Acragantinus cum primis Empedocles est,
insula quem triquetris terrarum gessit in oris,
quam fluitans circum magnis amfractibus, longe
Ionium glaucis adpergit uirus ab undis;
angustoque fretu rapidum mare diuidit undis
Italiae terrarum oras a finibus eius.

fragm. Gott. cdd. Lugd. 1. 2. Brit. 3. pro Italiae, quod in relicuis omnibus est, Haeliae praebent. Wkf., qui Preigerum et Hkp. secutus est, Aeoliae, quod in Lugd. 1 superscriptum legitur, in textum recepit, omnem, quae moueri posset, dubitationem hac adnotatione repulsam perhibens. „GLM Haeliae, unde recte nostram lectiones effinxere editores. Reliqui libri Italiae ex interpretatione, ne Siciliam lector intelligeret: cum enim temporibus antiquis tota regio Aeolia audiret, terra freto perrupta, partibus Siciliae diuulsis id nomen potissimum inhaerescebat. Ibi Uulcani et Cyclopum domus, antra scilicet Aeolia, scriptoribus uniuersis decantata. Haec autem colliguntur ex scholio, quod ex libris suis nonnulli protraxere: Ea, quam Iocastes, Aeoli filius ad fretum Siculum inhabitabat, pars dicta Aeolia.“ Quae Eichstaedtio, Forbigero, Orellio probata iam quanti sint, uideamus. — Glossa, quam ex libris depromptam Wkf. dicit, neque Uossi aetate, id quod a Preigero disci poterat, antiquior est, neque fundamentis fide dignis nititur. Loci quibus Iocastus, Aeoli filius, describitur, hi sunt; alter Diodori (ed. Dind. V, 8) τούτων (τῶν Αἰόλου υἱῶν) δὲ Ἰόκαστος μὲν τῆς Ἰταλίας ἀντεχόμενος

ἐβασίλευσε τῆς παραλίας μέχρι τῶν κατὰ τό Ῥήγιον τόπων. alter Metaphr. Dionys. u. 462: εἷς δὲ τῶν υἱῶν ὧν Ἰόκαστος Ῥήγιον ἔκτισε τὴν πρώην Ἐρυθρᾶν καλουμένην. Terram ab eo nomen duxisse nemo tradidit. Neque usquam, quod nouerim, reconditarum rerum scientiam Lucretius iactat. — Glossa coniectura nititur nimis infirma, quae ex Diodori loco petita est. — At dixerit forsitan quis insulam ex Aeoliis unam, quam uel praeter Dion. Per. 461 Uerg. Aen. I, 51 nominet, intelligendam esse. Ne hoc quidem recte. Insula (de qua Heyni ad Uerg. excursus I conferendus est) neque Aeoliae terrarum orae dici potest, neque angusto fretu dirempta est, neque ob ignobilitatem hic locum habet. Italia cogitanda est, cui angustis quondam faucibus Siciliam adhaesisse constat, (cf. Iustin. IIII, 1); Italiae scribendum. Iallę facillime ex Iτallę nasci potuit; a et ae persaepe inter se commutantur. — Quod cum ita sit, Italiae, Italorum coniectura, nihil est nisi iusta antiquae scripturae explicatio, eorum qui Aeoliae coniectura effecerunt, explicatione multo felicior.

Memorantur etiam Pii codices, qui quales fuerint, ipsis Pii adnotationibus, quibus modo coniecturae, modo editionum, modo codicum lectiones, nulla diuersitatis nota adhibita, laudantur parum liquet. Ad recentiores libros referendi uideantur. — Codd., quorum uariae lectiones ad editionis Ueronensis exemplar Lugdunense et ad exemplar Uossianum exaratae sunt, ad antiquissimos libros accedentes, nimia cum negligentia ab Hkp., qui coniecturas adpictas iisdem litteris affert, recensentur, quam quibus multum adhuc tribui possit. Uoss. 3 idem ac Lugd. 2 esse uidetur, qui liber olim Uossi fuit. — In editt. Aldinis, Iuntina, Bononiensi id, quod nouum reperitur, coniectura nititur. Iam tempus est, ut earum auctoritate, quae ad Wkf. usque codicum aequiparauit, prorsus reiecta solis libris scriptis Lucretium emendemus. Etiam hodie loci exstant, quibus non, uti par est, codicum sed editionum lectiones legimus; ueluti I, 518 etiam apud Wkf. Eichst. Forb. ita legitur:

Id porro nihil esse potest, nisi materiai
concilium, quod inane queat tectum cohibere.

tectum in Ald. I primum comparet. cdd. omnes rerum offerunt, quod quem idoneum sensum praebeat, non uidet Forb. uir infelicissumus. Res partim solido, partim inani constant; rerum igitur inane est, quod cohiberi queat. cf. modo u. 512 sq.:

Praeterea quoniam genitis in rebus inane st,
materiem circum solidam constare necesse st.

tectum superuacaneum est. —

Iam his expositis, posteaquam omnis nostros codices ex uno eodemque cod. Arch. saec. VIIII circiter scripto diximus, ut Forbigeranae suspicionis adminiculum, ex codicum ratione petitum, quanti aestimandum sit distinctius eluceat, uiri de cdd. nostris iudicium afferre sufficit. Hoc est: „Facile, qui hunc libellum (dissertationem dicit) accuratius perlegerit, animaduertet, prae ceteris imprimis Pii codices, utrumque Lugd. Uindob. et 3 Britt. lectionibus suis suspicionem de duplici recensione tueri, rarius uero in Cantabrigiensi, Bodleiano, Pooriano et Gottorpiensi inueniri, quae in eam capiendam inducant.“ Hae omnes merae sunt hariolationes. —

Orthographia, uti par erat, ad antiquissimi Uind. fragm. auctoritatem accomodata, recentissimorum editorum scribendi rationem, quippe cuius uestigia, quantumuis oblitterata, in praestantissimo libro adhuc conspicua sint, plerumque seruaui, cum aliis in rebus tum in eo codici obtemperans, quod **eis** et **ei** uocabulorum exitus prorsus reieci. Nusquam in Uind. fragm. **fineis** aut **prauei** scriptum repperi; aut fines aut, si **accusatiuus** est, finis legitur (in altera L. II parte: 34 locis); **is** praetuli. **Eis**, quod primum in Ald. I apparet, si repperissent, librarii profecto non in **is** sed in **es** mutauissent. Miror, quod etiam Siebelisius in quaestionibus hanc scribendi rationem retinet, nulla grauiore auctoritate commendatam. In nominatiuis sane alteram formam ubique restituit, uno tantum loco, editorum negligentia deceptus. Legitur enim V, 567: (p. 49)

nam quibus e spatiis quomque ignes lumina possunt
adlicere et calidum membris adflare uaporem tc.

Ignibus lumina non adliciuntur, sed efficiuntur; **ignis** scribendum est, **genit.** Wkf. et indefessi eius asseclae **eis** praebent, **nominat.**, qui ita scriptus iis placet.

Inter alias res, quibus ab editoribus recessi, est quod relicuus, relicuas partim ipsi Lucretio, partim codicibus obtemperans scripsi. Ex locis, quibus haec scribendi ratio luculentissime commendetur, unus hic est: (I, 955)

Fit quoque, uti soleant minus oblato acriter ictu
reliquiae motus uitalis uincere saepe;
uincere cet.

Haec est omnium editionum communis scriptura. Attamen in antiquissimis libris fragm. Uind. Lugd. 1. 2 est reliqui; quamobrem scribendum statuo:

rellicui motus uitales uincere saepe.

Uitalis, quod in fragm. Uind. legitur, solenni errore natum est. Lucretius non motum uitalem unum sed motus uitalis pluris statuisse uidetur. cf. modo u. 947:

dissoluuntur enim positurae principiorum
et penitus motus uitales inpediuntur.

q et c fere constanter inter se commutantur. En alterum commutationis exemplum: L. IIII poeta, ut subtilem primordiorum formam, primo libro iam demonstratam, iterum exponeret, hos uu. posuit: (u. 113 sq.)

Nunc tamen id quoque uti conformem, exordia rerum
cunctarum quam sint subtilia, percipe paucis.
Primum animalia sunt iam partim tantula, quorum
tertia pars nulla possit ratione uideri.

quorum coniectura scripsi. cdd. Lugd. 1. 2., Bodl. Uind. Britt. 2. 3. ed. Uer. eorum praebent; recentiores codices et editiones ad arbitrium editorum non iam ad codd. solos excusae aut ut horum aut eorum ut praebent. (ed. Brix. ut horum: hinc optimus Forbigeri et Orelli codex.) Editores ante Wkf., qui ut horum recepit, eorum retinuerunt, ut particulam in sequentem uersum intrudentes; omnes decepti. Eorum fere non ab corum discrepat, uerborum forma, qua antiquiores ex libris nostris haud semel quorum reddiderunt. Inde uero dicendi genus efficitur, quod et omnino elegans est et Lucretio usitatum.

Forbigeri de codicibus sententiam non singulis locis examinans sed omnino condemnans audacius iusto forsitan egisse uidear. At non egi. Loci, quibus genuinae carminis formae reliquias in aliis codicibus alias exstare lectori persuadeatur, aut ad hanc de libris sententiam confirmandam nullo modo spectant, aut, si spectant, partim Lucreti sententia parum intellecta, partim codicum ratione et condicione non explorata iusto negligentius tractati sunt. Quod ne temere me dixisse existimes, haec

Forbigeranae leuitatis exempla te docebunt. Hinc etiam, si qua infra disputationem Forbigeranam non omnem examinauero, me excusari uelim.

Wakf. id quod in praefatione significaui, codicum scripturam interdum non propterea, quod ipse meliora uiderat, sed ne Lambini sententiam amplecteretur, tuitus, partim ueteres errores a primis inde editionibus propagatos seruauit, partim nouos aduexit. Luculentissima exempla, quibus et hoc Wakefieldianum nouarum rerum studium et asseclarum caeca obtemperatio arguantur, praeter alia haec sunt. L. I u. 128 sq. omnes ante Wkf. editores sic excudi curauerunt:

Quapropter bene cum superis de rebus habenda
nobis est ratio, solis lunaeque meatus
qua fiant ratione et qua ui quaeque gerantur
in terris, tum cum primis ratione sagaci,
unde anima atque animi constet natura, uidendum.

Wkf. cum cdd. tunc c. p. posuit, quod Forb. et Eichst. tacite receperunt, haud minorem negligentiam etiam alio in loco praestantes: I, 249 sq.

haud igitur redit ad nihilum res ulla, sed omnes
discidio redeunt in corpora materiai.

Ubi Wkf. et contra grammaticam et contra loci sententiam neque cum omnibus iisque melioribus cdd. in corpore scripserat, uersuum, quos paulo ante Lucretius posuit, immemor:

216. huc accedit, uti quaeque in sua corpora rursum
dissoluat natura neque ad nihil interimat res.

At talibus in soloecismis Wkf. poetae elegantia consistere uidetur.

Sed ne Wkf. iniuriam inferre uideamur, etiam priores editores, quantum quidem ad metrum attinet, non omnino uituperatione carent. In omnibus a Brix. inde editionibus VI, 818 sic scriptus est.

exspiratque foras in aperta promptaque coelum.

Fragm. Uind. genuinam lectionem praebet: apertum.

L. III u. 403—413 ne Lambinus quidem poetae mentem assecutus est. Lucretius, ut corporis truncum animo uigente adhuc uiuum quodammodo illustret, oculo utitur exemplo, cuius, quamuis lacerati, pupula incolumi uiuata restet cernendi potestas, neque exemplum, uti fieri soleat, claudicare nesciens, neque ad

peruersas aduersariorum interpretationes, quantum ipse uiribus ualeat, praecauendas non paratus. Uersus uero ponit hos:

At manet in uita, cui mens animusque remansit,
quamuis est circumcaesis lacer undique membris;
truncus adempta anima circum membrisque remotus
uiuit et aetherias uitalis suscipit auras;
si non omnimodis at magnam partem animai *)
priuatus, tamen in uita cunctatur et haeret.
Ut lacerato oculo circum, si pupula mansit
incolumis, stat cernundi uiuata potestas;
dummodo ne totum corrumpas luminis orbem
et circumcidas aciem, solamque relinquas;
id quoque enim sine pernicie non fiet eorum.

Locum, quem duabus coniecturis (Sed circumc. — confiet eorum) uexauit, Lambinus sic explicat: „poterat tardiusculus aliquis sic accipere: toto oculo lacerato uidendi sensum incolumem manere. Huic igitur occurrens: dummodo, inquit, ne totum oculum corrumpas, sed aciem seu pupulam integram relinquas, eamque ita circumcidas, ut intacta et salua maneat. Nam id quoque, id est, ea talis aciei circumcisio, ut salua remaneat et sola intacta relinquatur, fiet sine oculorum pernicie.“ Quae cum primo obtutu haud abs re esse uiderentur, omnibus adhuc editoribus probata sunt. Neque Wkf. aliam melioremque loci interpretationem protulit, sed Lambinianam etiam codicum scriptura seruata effici his uu. censuit: „et; repetita nimirum phrasi dummodo et omissa negatione praecedentis uersus, uti multoties factum est. Editores tamen contra libros indoctissime reposuere sed.“ ad u. 413: „hoc uersu nihil unquam uidi planius ac simplicius. Attende solummodo uerborum singulorum enarrationem: id enim (corruptio pupulae) quoque (cum reliquo etiam oculo) non fiet sine pernicie eorum amborum, utique tam pupulae, quam oculi.“ Eo igitur cum Lambino consentit, quod circumcisioni integram pupulae corruptionem siue exstinctionem opponit. — Uerum haec omnia uniuerso latinae linguae genio utique aduersantur et, quod Lambini interpretatio seruata est, confiet reiecto, cum u. 413

---

*) Priscam hanc dicendi rationem, qua orationis aequalitas egregie restituitur ex fragm. Uind. petii, ubi u. ita scriptus est; magnam partem anima priuatus. — Genitiui ratio eadem est quae in locutione: „nec me animi fallit“: sim.

non, quod exspectamus, ad u. modo praecedentem sed ad u. 411 referendus sit, omnis rerum connexus turbatur et impeditur, ac sententiam Lucretius u. 413 tanquam grauem et obscuram tradit, quam ne puer quidem addubitaverit. — Omnino Lambinus locum parum intellexit. Neutiquam enim, cum etiam corpus, ad quod demonstrandum oculi exemplum adhibetur, non ex omni parte dissolutum et peremptum sed mutilatum et membris remotum in uita haereat, Lucretius, ne quis etiam pupula exstincta et omni oculo corrupto cernendi potestatem restare existimaret, timuit, neque pupulae utique circumcisae et corpore auulsae cernendi potestatem restare docuit *). Exemplum, ut dixi, ex aliqua parte claudicare intellexerat et hanc ob rem uu. 411—413 addidit, hoc significans: „Trunco adhuc uiuo oculus potest aequiparari laceratus sed pupula incolumi cernendi potestate nondum carens. Quod qui audierit, neutiquam uelim toto luminis orbe corrupto acieque sola relicta ullam uidendi potestatem restare mihi uideri existimet, quippe qui tale quid censeat, insanire uideatur: nam pupulae soli relictae et corpore auulsae per se nullam esse neque cernendi neque alius cuiusuis rei potestatem, quis est quin intelligat? cf. modo uu., quibus ad nostrum locum respexisse uidetur poeta, paulo infra positos: 562 sq. et 547 sq.

Hoc modo et codicum scriptura integra seruatur et omnis aut inanis uerbositatis aut ineptiarum opprobrium a Lucretio defenditur.

Eiusdem modi locus alterius libri est. Lucretius, qualis atomorum natura esset, enarrans, cum eo uenisset, ut primordia siue atomos propterea, quod omnibus rebus certus ordo a rerum origine inde constitutus esset, finita figurarum ratione uariare doceret, rem, qualis omnino eius mos erat, exemplis gessit, et quae antea pulcherrima existimatae essent, uestis barbaras pur-

---

*) Lamb. propterea quod oculo circum lacerato idem quod oculo circum caeso (u. 404) significari putauerat, in errorem incidit, quem, ne de uerborum significatione satis diuersa (rings zerreissen et rings abschneiden) moneamus uu. 404 et 409 accurate inter se collatis euitare poterat; cf.:

quamuis est circum caesis lacer undique membris
truncus adempta anima circum, membrisque remotus.
ut lacerato oculo circum, si pupula mansit
incolomis, stat cernundi uiuata potestas.

paramque Meliboeam iam nouo rerum colore superatas iacere et Phoebeis carminibus praestantius exortam esse, et quales uulgo cernerentur, caloris frigorisque ordinem et rationem unquam mutari negans. In fine disputationis ea, quae de calore et frigore dicenda uidebantur, his uersibus exarata sunt: (II, 515 sq.)

Denique ab ignibus ad gelidas hiemisque pruinas
finitum st, retroque pari ratione remensum st.
Omnis enim, calor ac frigus: mediique tepores
inter utrasque iacent explentes ordine summam.
Ergo finita distant ratione creata,
ancipiti quoniam mucroni utrimque notantur,
hinc flammis, illinc rigidis insessa pruinis.

Qui locus ad editionem Wkfdianam exhibitus ita comparatus est, ut hoc modo a Lucretio scribi non potuerit. Uersus 517 et 518 enim explicari nequeunt. Primum illud: „omnis enim calor ac frigus" quid significet, eruere uel Oedipi sagacitatem superare uideatur; nam, quod Wkf. (quem Eichst. et Forb., uti solent, presse secuti sunt) ad illustrandam uersuum sententiam protulit, id nullo modo comprobari potest. „Omnis, inquit, annus est calor ac frigus; nihil aliud." Uerum de anno, id quod uel primus aspectus docet, poeta non loquitur, neque tanta, quae annus uocabulo omisso oritur, ellipsis ullo modo tolerari potest, neque sententia efficitur apta et rerum naturae respondens; imo prorsus contraria. Sententiolam modo continuo sequentem etiam admissa altera mira ellipsi (inter utrasque: scill. tempestates; Wkf.) accurate perpendas! Annus nullo pacto nisi ab insanienti nihil nisi frigus et calor dici potest, neque, si nihil aliud est, medii tepores intercedere possunt. Talis nugas Lucretio intrudentes multo magis quam audacioribus Lambini emendationibus eum corrumpimus. — De anno sermo esse nequit. — Certae, Lucretius inquit, frigoris calorisque fines exstant, quae superari non possunt; finit igitur (sic Lambinus locum restituit, Marulli finis paulo mutans) finit frigus et calor et medii tepores inter utrumque iacent. Uerum ne haec quidem, quamuis ad loci sententiam multo aptiora sint, ab omnibus partibus proba uidentur. Nam, ut leuiora omittam, neque calor ignibus neque frigus nude dictum gelidis hiemisque pruinis, quibus summum frigus significatur, apte comparari potest neque uulneris medela coniectura Lambiniana siue Marulliana multo expeditior non est in promptu. Aliam modo distinguendi rationem exhibeas neue eam, quae a

ueteribus editionibus usque ad nostros dies propagata est. Ita uu. componi uelim:

omnis enim calor ac frigus mediique tepores
inter utrasque iacent, explentes ordine summam.

Ita et codicum scriptura integra seruatur et sententia efficitur ex omnibus partibus proba et apta: „etiam in temperatione (sit uenia uerbo) certus ualet ordo; nam mucronum instar, qui superari nequeunt, ignes et pruinae sunt; omnis uero calor et frigus et qui neque calor possunt dici, neque frigus, sed mixti et inter utrumque interpositi, medii tepores mucronibus illis, ne iusto nimis procedant, cohibentur:

ergo finita distant ratione creata,
ancipiti quoniam mucroni utrimque notantur,
hinc flammis illinc rigidis insessa pruinis.

Restat iam solum, ut utrasque, a Lambino et Marullo secundum prauam illam loci interpretationem in utrumque mutatum, defendamus. Referendum uero cum femin. ad pruinas proxime antecedens censeam, relicuis omnibus, quos afferre liceat, locis similibus supersedere possumus, uno allato simillimo. L. V, 472 legitur:

Hunc exordia sunt solis lunaeque secuta,
inter utrasque globi quorum uortuntur in auris;
quae neque terra sibi adsciuit nec maxumus aether;
quod neque tam fuerint grauia, ut depressa sederent,
nec leuia, ut possent per summas labier oras;
et tamen inter utrasque ita sunt, ut corpora uiua
uorsent, et partes ut mundi totius exstent.

Sic enim secundum Lugd. 2 et plerosque ceteros cdd. locus exarandus est, neque quemadmodum Wkf. et recentissimo tempore Siebelisius in quaestion. p. 32 solius cod. Lugd. 1 auctoritate nitentes eum scribi iusserunt:

hunc exordia sunt solis lunaeque secuta et
inter utrasque globi quorum uortuntur in auris.

Nam, quae inde euadit, sententia: „aethera solis lunaeque exordia et ea (i. e. eorum exordia) secuta sunt quorum globi inter utrasque (solem et lunam) in auris uertuntur“ ea cum ab uniuersa Lucreti de rebus doctrina, tum ab hoc loco aliena est. Nullos omnino Lucretius globos cognouit, qui inter solem et lunam uertantur, neque eos in sequentibus commemorat, de sole

lunaque disserens, quas inter coelum et terram uolui initio libri docuit: 77 sq.

Praeterea solis cursus lunaeque meatus
expediam, qua ui flectat natura gubernans;
ne forte haec inter coelum terramque reamur
libera, sponte sua, cursus lustrare perennis.

Iam posteaquam locum, quem Pius et Candidus inani coniectura, ante Wkf. omnibus probata, uexauerunt, in integrum restituimus, quo tandem pacto is cum nostro conferri possit, rationem reddamus. Utrasque, quod etiam u. 477 exhibetur, omnibus codicibus confirmatum, u. 473 ad terram, ut ad earum rerum, ad quas referri potest, proximam refertur, infra uero ideo, ut oratio sibi constet, legitur. Quae inter hunc et nostrum locum intercedit, differentia in eo conspicua, quod pronomen L. II ad praecedens, L. V ad sequens refertur, momenti non est; nam omnino proximum praeualet; imo, quod locus libri quinti aliter intelligi omnino nequit, noster, utpote expeditior, etiam magis defenditur. — Exstant etiam loci, quibus genus, contra nostram exspectationem positum, generali quadam notione, quae cogitari debet, explicandum est; uelut I, 190 sq.:

— — — — — omnia quando
paullatim crescunt, ut par est semine certo;
crescentesque genus seruant: ut noscere possis
quaeque sua de materia grandescere, alique.

uulgo contra cdd. Lugd. 1. 2 crescundoque editur. Res supplendae sunt. I, 283; II, 718, cet. — Uerum hi loci a duobus nostris, quos quispiam fortasse hoc modo intelligi iubeat, propterea differunt, quod generalis notio in antecedentibus commemorata est; neque alia talis, quam nos statuimus, attractionis exempla apud Lucretium desunt. Unum, quod Noni Marcelli auctoritate confirmatur, (Non. p. 199) hoc est: (IIII, 46)

dico igitur rerum effigias tenuisque figuras
mittier ab rebus, summo de corpore earum,
quae quasi membrana uel cortex nominitanda st.

ubi propter cortex, fem. sing., nominitanda est neque nominitandae sunt dictum est. — Hos et omnis alios huiusmodi locos neutiquam laudibus ornare uelim, utpote exquisitas et elegantis dicendi formulas, sed negligentia quadam ortas putauerim, Lucretio rem neque formam curante et ad id constructionem ac-

commodante, quod in cogitatione potissimum ualebat. — Carmen retractans hos similisque alios locos fortasse emendasset. —

DE UERSIBUS REPETITIS.

Egregium est libri quarti exordium, quod a poeta, se ad res nouas et inauditas iam transiturum profitenti, adhibitum:

Auia Pieridum peragro loca, nullius ante
trita solo sq.

quamuis nullo modo, neue totus liber truncus fiat, neue Noni Marcelli testimonium quater exhibitum nihili aestimetur, remoueri possit, cum e L. I repetitum sit, alterutro loco ei, qui Forbigeri de carminis forma sententiam amplexus est, suppositicium uideri debet. —

Forbigerus interpolationem L. I susceptam statuit; quod quo iure dixerit, uideamus.

Repetitiones, quae in Lucreti carmine frequentes sunt et singulis uersibus et particulis argumentationis modo breuioribus modo longioribus bis terue adhibitis, Forbigerus tum ob ipsarum tum ob carminis, in quo reperiuntur, naturam et rationem neutiquam cum locis comparari posse bene intellexit, qui in carminibus Homericis ter quaterue dicti exhibentur, ne eo quidem errans, quod, si qua excusatio excogitari posset, inde eam esse petendam negauit, quod poetae uersus, quibus mirum in modum delectaretur, iterum atque iterum lectoribus proponere placuisset. Talibus in nugis iam, qui hanc rem examinare constituit, morari nullo pacto debet. Quaerendum ante omnia de locorum ratione uidetur. —

Possunt repetitiones in carmine philosophico aut certo quodam consilio adhibitae esse iis locis, quibus poeta, rem supra expositam auribus lectorum denuo inculcare coactus, ne ulla exstet, ambiguitas, iisdem etiam uerbis utitur; aut sua sponte inuito auctore oriuntur, ut quae uno tantum duobusue uersibus contineantur, neque non sint rerum saepius dicendarum descriptiones; aut (qua quidem re, aliis causis non accedentibus, uim uere poeticam defecisse apparet) poeta grauitate suscepti oppressus, quibus tandem uerbis cogitationes uestiret et ornaret, despe-

rans uersus supra positos arcessiuit; aut uersus haud commode iunctos postea in aptiorem locum transtulit.

Locis, quos aut consilio repetitos aut poeta inuito denuo recurrentis dixi, ne Forbigerus quidem offendebatur eosque ideo tantum, ut integra materiae copia adsit, adscribam. — Summum libri primi argumentum cum eo contineretur, ut mundum neque ex nihilo neque ex mollibus aliisue eiusmodi rebus sed ex corporibus solidis et minimis prodiisse poeta copiose et multis argumentis doceret, necessario fere formulae, quibus finis quasi illis argumentis imponeretur, saepius repetebantur: ueluti contra Anaxagoram disputans, qui philosophus, materiem rerum igni constare docens, mundum ad nihilum reuerti ex nihiloque renasci perhiberet, Lucretius uel ad nos uel ad Memmium hos uu. misit:

Quod si forte ulla credunt ratione potesse
ignis in coetu stingui mutareque corpus:
scilicet ex nulla facere id si parte reparcent,
occidet ad nihilum nimirum funditus ardor
omnis et ex nihilo fient, quaequomque creantur.
Nam quodquomque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius, quod fuit ante;
proinde aliquid superare necesse st incolume illis,
ne tibi res redeant ad nihilum funditus omnes,
de nihiloque renata uirescat copia rerum.

u. 674, quem, quod ad sententiam attinet, iam u. 790 repetiit:

inmutabile enim quiddam superare necesse st,
ne res ad nihilum redigantur funditus omnes.

integrum in eodem rerum connexu paulo post iterum ponit, eodem etiam L. II utitur, tum ubi colore adiuncto, tum ubi odore sonituue primordia mutari et interire docet: u. 757 et 863. — uu. 674 et 675 paulo mutatos infra iterum exhibet; uu. 671 et 672, quibus pariter certa et immutabili concludendi formula utitur, reponit u. 792 et 793 et praeter locum L. II (752 sq.), quo una cum prioribus repetuntur, etiam L. III, 518. 19. Eiusdem generis est u., quem et 349 et 610 et (ne sententiarum connexus turbaretur, paulo mutatum) I, 575 et II, 150 ponit: „sunt igitur solida primordia simplicitate;" eiusdemque sunt uersus:

id quod iam supra tibi paulo ostendimus ante (I, 436 et 532)
id licet hinc quamuis hebeti cognoscere corde (III, 57 et V, 850)

quod tamen a uera longe ratione repulsum st (quem u. I, 871; II, 644 et tantum non prorsus eundem II, 644 et 678 legimus. —

Praeterea et I, 638 et II, 176 scriptum reperitur: magnopere a uera lapsi ratione uidentur. Nec multum differt, quod III, 3 et V, 553 legitur: „nam communibus inter se radicibus haerent" neque magis, quibus notio latius patens describitur:

concursus, motus, ordo, positura, figura (I, 686; II, 1020)
interualla, uiae, connexus, pondera, plagae (II, 726 et 1019)
lanigeraeque simul pecudes et bucera saecla (V, 864; VI, 230)
in uariis mundis uaria ratione creatis (V, 339 et 1344).

Adde praeterea: I, 483 et 506; III, 624 et 670; II, 707. 8 et I, 189. 90; II, 331 et 693 et II, 723; III, 518. 19 et I, 671. 72; III, 321 et V, 621 cet. Belle et eleganter Lucr., ut Epicurum primum superstitione uicta ueram de rerum summa doctrinam rettulisse significaret, hos uu. posuit: (I, 71)

unde refert nobis uictor, quid possit oriri,
quid nequeat, finita potestas denique quoique
quanam sit ratione atque alte terminus haerens.

neque inuenusta est repetitio eo eiusdem libri loco admissa, quo poetae, uiri, quem antea summis laudibus ornauerat, sententiam cum aliorum sententia comparanti, prorsus eadem notio significanda erat. Dicit enim: nisi primordia corpore solido et immutabili constare profitemur, omnino nulla de rerum summa scientia fieri nobis potest:

— — — nam si primordia rerum
conmutari aliqua possent ratione reuicta,
incertum quoque iam constet, quid possit oriri cet.

Exigua, quae exstat, mutatio sententiarum connexu necessaria fit, eaque ipsa quantis uinculis locus repetitus cum prioribus cohaereat, demonstratur. Maxime uero iidem uersus, quippe nimia inter utrumque locum similitudo intercedit, cum aliis multis exordio quinti et sexti libri repetiti offendunt. —

Minus displicet, imo placet, quod Lucretius in argumentatione, quae maximam partem exemplis fieri solebat, eo consilio, ut uis poetica rhetoricaue augeretur, ipsis his exemplis, quotcunque deinceps posuerat, eandem concludendi formulam in fine annexit, uelut L. III formulam, qua animam cum corpore nasci et perire profitebatur:

denique cur acris uiolentia triste leonum
seminium sequitur, uolpis dolus, et fuga ceruis
a patribus datur et patrius pauor incitat artus.
et iam caetera de genere hoc, cur omnia membris

ex ineunte aeuo generascunt ingenioque;
si non certa suo quia semine seminioque
uis animi pariter crescit cum corpore quoque.

et paulo infra u. 760 sq.:

sin animas hominum dicent in corpora semper
ire humana; tamen quaeram cur e sapienti
stulta queat fieri, nec prudens sit puer ullus,
nec tam doctus equae pullus, quam fortis equi uis,
si non certa sq.

Eiusdem generis sunt uu. qui V, 1387 sq. et 1453 sq. leguntur et uu. qui I, 631 et 707; I, 477 et 522 scripti sunt. Quin imo uu. quos F. acriter impugnauit, initio libri quarti bis positi, hoc modo excusari et defendi poterant. Locus est III, 63. 64 et IIII, 100—102. Disputationibus de primordiorum natura, de anima mortali cet. absolutis, cum uel ideo, ut grauis illa religio, quae horribili aspectu super mortalibus instaret, prorsus uinceretur, imagines figurasue uigilantibus nobis et somniantibus obuias nihil esse nisi simulacra de summo rerum corpore derepta, exponeretur oporteret, Lucretius iam talis omnino imagines ab rebus mitti posse demonstrandum existimans, hanc fere argumentationem instituit: „Permultae res de se corpora mittunt eaque non tenuia, sed quae, cum uideri possint, siue aperto corpora sint, („mittunt in rebus apertis") sane grandioribus uel potius magis inter se complexis primordiis constant. Talia uero grandiuscula corpora cum mittantur, quo tandem pacto tenuis illas imagines mitti non posse perhibeas?"

nam cur illa cadant magis ab rebusque recedant,
quam quae tenuia sunt, hiscundi est nulla potestas.

Possunt igitur mitti. Huic argumento summum in disputatione locum attribuit; id quod utrum iure necne fecerit, nostrum non est disceptare. cf. modo uu. 46 sq. — Uerum aliae quoque causae accedunt: uel cotidie, si placet, non solum corpora in rebus apertis missa cerni possunt, uerum etiam minuta et subtilia, quae singillatim cerni nequeunt. Eiusmodi color, quo russa et lutea uela magnis theatris intenta, cum trementia fluctant, spectatores uestiunt, eiusmodi sunt simulacra, quae in speculis apparent. „Recte quidem apparent; sed num reuera tales imagines sunt?" Sane quaeri etiam hoc potest neque Lucretius id non intellexit, locumque igitur de speculis sic instituit:

postremo speculis, in aqua, splendoreque in omni
quaequomque adparent nobis simulacra, necesse st,
quando quidem simili specie sunt praedita rerum,
ex . . imaginibus missis consistere eorum *).

At cur tandem in missis imaginibus? Huic sane quaestioni philosophia Lucretiana nouum argumentum iam opponere nequit; uerum cum omnino argumentis consueta sit rem tractare, quae, quotcunque producuntur, nihil sunt nisi unum idemque uariis formis exhibitum (cf. Maduig. diss.) eo, quod res fieri posse demonstretur, etiam reuera eam fieri demonstratum perhibens, nota formula omnem dubitationem remouere sibi uidetur:

nam cur illa cadant magis ab rebusque recedant,
corpora res multae quae mittunt corpore aperto,
quam quae tenuia sunt, hiscundi est nulla potestas.

Tum antequam disputatio ad alia transit, generalis sequitur conclusio: sunt igitur tenues formarum sq. Omnia bene se habent et si quid restat opprobri, in praua philosophiae Epicureae dialectice id situm est. Errore igitur nituntur, quae Forb. contra hunc locum profert: „quod enim Wakef. dicit repeti hos uu., ut argumentum rite concludatur et ad summam dispûtationis huiusce reuocetur lectoris recordatio, non satis huc conuenire arbitror. Primum enim his uerbis nondum concluditur argumentum, ad quod pertineut etiam uu. 103—108 arcte cum u. 99 cohaerentes; deinde plane non intelligimus, cur hic iam in mentem lectoris reuocandum sit, quod paulo ante lectum ut quisque recenti memoria teneat, necesse est, cui si uero excidit, ne his quidem uersibus repetitis in eam denuo redigetur, qui sine altero illo loco plane intelligi nequeunt.“ Uerum in his uerbis neutiquam moramur, quippe qui omnem loci conuexum et Lucretianum disputandi modum melius cognouerimus. Quamquam omnis disputationis conclusio non uersibus repetitis, sed iis, qui continuo sequuntur, uersibus continetur, dubitatio tamen, quae speculorum imaginibus commemoratis etiam restare potest (cum poetae, qui nullum aduersariis locum relinquere solet, utique reii-

*) Uoss. codicum scripturam, quam nos exhibuimus, ita mutauit: esse in imaginibus sq. quod ne amplectamur, insolita consistendi u. cum in praep. coniunctio obstat, quam, quamuis alibi reperiretur, L. hac sententia nusquam posuit. Iam, quid scriptum fuerit, mihi non satis constat.

cienda uideatur) ea ratione, quam L. III adhibitam etiam hic idoneam esse supra uidimus, tollitur et discutitur. —

Uersus igitur Forb. iniuria improbauit. Sed ipse retinere nolim. U. 101, qui ad explicandam rerum sententiam utique necessarius est, a cdd. Bert. Lugd. 1 Uind. Brit. 3, Cantabr. Poor. desiderari διαῤῥήδην notatur neque exstat in edd. Brix. Uer.; quin imo in nullo fortasse praeter recentis et interpolatos cdd. Brit. 1. 2 reperitur; quoniam, qui Lambinianis, de quibus omnino negligentius referri solet, exceptis praeterea restant, ab Hauerkpo, haud ita curioso codicum collatore, non ascripti: cod. Bodl. cum edd. princc. et cod. Uind. fere conspirat et cod. Lugd. 2 optimus, uel ne solus cum cdd. interpolatis consentiat, a Bertiniano aeque bono, quem praeterea nusquam relinquit, recedere aegre putandus est. Duo uero, qui restant, uersus rebus, ad quas illa pronom. referendum sit, uel nimis remotis sine eo u. intelligi nequeunt neque quamuis, si adsunt, ad plenam et copiosam disputandi rationem optime quadrent, utique necessarii uidentur. Poterat enim Lucretius eam, quam supra indicaui, dubitationem disputatione modo praegressa remotam arbitrari. Temere igitur uu. appositos perhibeo, neque ita, ut ex priore loco repetiti uideantur, sed ut librarius utroque loco uu. exhibuerit, quos, ad marg. cod. Archet. adscriptos, quo tandem transferret, dubitauerit. De interpolatione saeculo p. Chr. altero instituta temere suspicatus est Forb. — Uersus librari negligentia inepto loco positi, posteaquam in omnis deinde libros transierunt, Italis rem etiam hoc loco docte et eleganter tractantibus lacunae, quae uidebatur, proprio Marte explendae ansam fecerunt.

Iam, ne hanc disputationis particulam loco finiamus, quo uersus repetiti, quamuis ob sententiam defendi possent, propter codicum nostrorum rationem eliminandi uidebantur, uersus adiungamus, quibus etiam magis, quam adhuc factum est, qua tandem ratione Lucretius ideo, ut pio et religioso suo persuadendi et euincendi studio satisfieret, iisdem formulis bis saepiusue uti potuerit, doceberis. Hominibus priscae religioni ascriptis nihil certius sanctiusque erat, quam quod Apollo Delphicus et relicui dii oraculo edidissent. Egregie igitur, ut philosophorum graecorum auctoritatem et grauitatem aequalibus commendaret, his uersibus poeta noster usus est: (I, 737 sq.)

multa bene ac diuinitus inuenientes,
ex adyto tanquam cordis responsa dedere
sanctius et multo certa ratione magis, quam
Pythia, quae tripode a Phoebi lauroque profatur.

Nihil hac formula ad persuadendum efficacius cognouit, neque alia uti se posse existimauit, ut de re, quae omnis terrigenas metu necessario compleret, de mundo in dies senescente et mortali disserentem se uera profari affirmaret L. V, 111 sq.

Qua (ratione) prius aggrediar quam de re fundere fata,
sanctius sq.

Ad alterum repetitionum genus, quo Forb. interpolationem argui censet, transeamus.

Exordium quarti libri e L. I repetitum cum locis, quos adhuc tractauimus, comparari neutiquam potest. Repetitio enim 25 uersuum neque sua sponte oriri neque praesertim, quod in libri exordio legitur, aut ad euitandam ambiguitatem aut ad augendam persuadendi facultatem adhiberi potuit. Alterutro loco Lucretius eam aut iam damnauit, aut carmen retractaturus damnare constituit. In quarti libri exordio, ut supra iam significauimus, aptissimi sunt uersus, quibus ad res uidemur traducendi grauissimas et obscurissimas neque tale libri prooemium a reliquis ullo modo differt. Libro I res alia est; quippe ubi poeta, posteaquam rerum primordia inuicta esse et perpetuo uolitantia demonstrauit, iam non multo ante ipsum libri finem utrum rerum summa finita necne sit, his uersibus exponere suscipiat:

sed quoniam docui solidissima materiai
corpora perpetuo uolitare innicta per aeuom;
nunc age summai quaedam sit finis eorum,
necne sit euoluamus; item quod inane repertum st,
seu locus ac spatium, res in quo quaeque gerantur:
peruideamus utrum finitum funditus omne
constet an immensum pateat uasteque profundum.

Haec et per se apta sunt ad transitum faciundum et hoc loco sufficere poterant. Nam quantumuis grauia uideantur, quae iam sequuntur, iis, quas adhuc Lucretius exposuit, rebus neque grauiora sunt, neque obscuriora, neque non arte cum iis cohaerent. Necessarium igitur certe non erat magnificentissimum illud prooemium, quod ante ipsos uu. hos scriptum reperitur:

Nunc age, quod superest, cognosce et clarius audi;
nec me animi fallit quam sint obscura, sed acri

percussit thyrso laudis spes magna meum cor
et simul incussit suauem mi in pectus amorem
Musarum, quo nunc instiuctus, mente uigenti
auia Pieridum peragro loca, nullius ante sq.

Hi enim et qui sequuntur uersus, id quod Forb. recte intellexit, ad paruulam illam L. I partem, quae adhuc restat, pertinent, neque ad ea quoque, quae libro II illustrantur. — Attamen scribere eos potuit Lucr., qui celeriter neque diu meditatus, uniuersa, quas tractabat, rerum grauitate et sanctitate commotus, id quod ex pectore manabat, quamuis loco haud ita apto ponebat, rem neque dum formam curans. Haec ego; aliter Forbigerus, qui uir et propterea hos uu. damnauit, quod omnino absoni et inepto modo cum superioribus coniuncti essent, et propterea, quod anxium singularum quarundam uocum mutandarum studium appareret, et quod Nonius omnibus, quibus ad hos uu. respicit, locis quartum neque primum librum laudaret. — Uersus, qui loco repetito praecedunt: „Nunc age sq.“ minime Lucretianos sed inepti interpolatoris esse pluribus de causis suspicatus Forb. „primum“, inquit, „uix credibile est Lucretium claris uerbis dicturum fuisse, solam laudis spem et desiderium stimulos sibi subiecisse ad poesin tractandam; quod alii ueteres poetae, quid deceat, quid indecorum sit, satis discernentes, nunquam de se confessi sunt, qui licet laudem quoque e carminibus suis sperent et quaerant, hanc tamen cupiditatem laudis et honoris unice ad poesin se impulisse dicere non audent.“ Sed ut interpolationis suspicio confirmetur, aliquid a poeta haud admodum uenuste dictum demonstrari non sufficit, nam etiam inuenustius aliquid dicere potest, uerum a poeta hoc omnino dici non potuisse demonstrandum est. Summi se laudem aestimasse Lucretius etiam aliis locis probat, uelut I, 927 uel potius IIII in:

iuuatque nouos decerpere flores
insignemque meo capiti petere inde coronam,
unde prius nulli uelarint tempora Musae;

et L. VI, 95 sq.:

Tu mihi . . . spatium praemonstra callida Musa,
te duce ut insigni capiam cum laude coronam

et qui inde explicandi sunt, uersibus omnium corruptissimis: (L. VI, 47)

Quando quidem semel insignem conscendere currum
. . . . ut omnia, contra
quae fuerint, sint placato conuorsa fauore.

Neque ullam nobis uituperandi facultatem eo concedit, quod, se hominum inanium admirationem neutiquam curare distincte professus, uiris probari gestiuit grauissimis neque nisi summa de humano genere merita laudantibus. Hoc et uoluit et, quippe res canens, quibus hominibus grauius et sanctius nihil exstaret, simul cum insigni laudis corona se adepturum esse sperare potuit. Atque bene ita se laudis spe ad carmina pangenda commotum dicit; is enim, qui omnino de laeto suscepti euentu desperat, ne rem suscipiat admouendus est. Ipso hoc loco grandisonanti, quantopere rerum sanctitate captus fuerit, poeta egregie significat: Nulla alia tot et tantas difficultates suscipiendi ei causa erat, nisi quam e laeta illa spe, se diuina Epicuri merita aliquo modo partiturum esse petierat. Haec fere sunt, quae uersibus illis significasse uidetur. Obscurius fortasse significauit, uerum non inepte. — Sed ad Forbigerum reuertamur; cuius etiam haec leguntur uerba: „Hic primum occurrit noua illa et insolens, nec ulli alii poetae nota metaphora: „cor thyrso laudis percussum" (sic) quae si ab initio in Lucretio lecta fuisset, uix etiam explicari posset, quomodo tandem factum sit, ut nec Uirgilius, nec Horatius, nec ullus alius seriorum poetarum, qui Lucretium imitari solent, uel leue tantum eius uestigium seruaret, quidue grammaticis acciderit, ut nunquam uel uno uerbo eius mentionem facerent." At haec locutio aptissima est, ubi poeta se insigni, quam modo significaui, spe et exspectatione ad subeundas tantas difficultates permotum dicit. Haec enim est loci sententia: sancto furore, quo percussi Bacchi comites, ad unam tantum rem tendentes, alias omnis obliuisci solent, spes illa, ut omnis dubitationes abiicerem, omnis difficultates contemnerem, me excitauit. Quam sententiam ne seriores poetae imitarentur, grammatici laudarent, eo factum uidetur, quod neque a grammaticis neque a poetis totus expressus est Lucretius. Eiusdem generis omnia sunt, quae praeterea Forb. contra hos uu. profert. Nihil in iis inest, quod, qualecunque est, a Lucretio scribi non potuerit; neque Uergili testimonium, quod iam adhibebo, non ualet. Scripsit Georg. III, 289—93:

nec sum animi dubius uerbis ea uincere, magnum
quam sit et angustis hunc addere rebus honorem.
Sed me Parnasi deserta per ardua dulcis
raptat amor; iuuat ire iugis, qua nulla priorum
Castaliam molli deuertitur orbita cliuo.

quae, cum omnino Uergilius Lucreti uestigia premere soleat, e primi libri uu. 920—926 (h. e. e uersibus, quos Forb. interpolatos dicit) petita esse Macrobius et Seruius bene statuerunt. cf. Macrob. VI, 2; Seru. ad G. III, 293. Nam quod F. nos docet: uerba „nec sum animi dubius" ex L. VI, 98—101; sequentia uero „sed me P." ex L. IIII ducta esse, quamuis uerum esse possit, id uniuerso loci Uergiliani tenore, qui nostro simillimus est, refellitur. Uerum, ut de Uergili testimonio iure dubitauerit, iniuria F. de grammaticorum illorum testimonio, ut pote omnium maxime distincto ambigebat. Nulla, profecto, causa adest, qua Seruium et Macrobium libris interpolatis usos fuisse, persuaderi nobis possit.

Iam posteaquam locum nostrum ab auctoribus fide dignis defendi uidimus, omnis de locis repetitis Forbigeri suspicio reiecta uideatur. Locum enim ei, qui Forbigeri sententiam amplecteretur, uel omnium infestissimum esse supra exposuimus. Attamen ut finis huic disputationis particulae rite imponi possit, accuratius paulo in eam inquiramus. Forb. interpolationem ideo, ut carmen lectu difficile facilius redderetur, institutum existimans, retractatorem in re sola neque in eius forma poetica haerentem „multa addidisse dicit, ubi ipsi aliquid deesse, ubi connexus ratio paulo difficilior uideretur, ubi rebus a Lucretio tractatis ab accuratioribus explicationibus, ab aliis quibusdam argumentis, ab exemplis luculentioribus nouam aliquam lucem accessuram speraret." Qua ratione cum uersus duobus locis positos (quorum alterutro damnandos eos etiam nos statuimus) explicare conaretur, quid sibi uellet, parum prospexit. Neutiquam enim repetitiones eo, quod F. significauit, consilio institutae sunt. Modo nostrum locum conferas, quo interiecto, ut disputatio expedita fiat, tantum abest, ut impedita efficiatur. Atque ipse F. locum casu repetitum dixit e L. IIII, qui casus profecto mirabilis est casus. Longe alia est huius difficultatis explicatio, quam interdum iam significauimus. Unicum, quod ex antiquitate de Lucreti uita ad nos peruenit testimonium, Eusebianum, hoc est: „T. Lucretius

poeta nascitur Ol. 171; qui postea amatorio poculo in furorem uersus, cum aliquot libros per interualla insaniae conscripsisset, quos postea Cicero emendauit, propria manu se interfecit." Quae uerba, quantumuis fabulosa uideantur, cur merum sint mendacium, effici non potest*). A uero haud uidemur abesse, Lucretium, antequam ad finem peruenerit, animo perturbatum et opere neutiquam perpolito mortuum, libros uero ab amico quodam ex schedis editos esse censentes. Hoc est uniuersum fabulae argumentum, quod quomodo cum hodierna carminis nostri forma consentiat, examinandum est. Ad locos, qui huc referri possunt, multos et grauis is pertinet, quo Lucretius id, quod nusquam exposuit, se largo sermone posterius probaturum promittit. cf. L. V, 154 sq.:

Quare etiam sedes quoque nostris sensibus esse
dissimiles debent, tenues de corpore eorum.
Quae tibi posterius largo sermone probabo.

Quamuis aptissimus et quomodo iam carmen comparatum est, unicus huius disputationis locus religionis origine explicata libro V exeunte fuisse uideatur, disputatio de sedibus deorum instituta neque iam ibi reperitur neque ibi antea fuisse ullo testimonio

---

*) Tistis illa insaniae sors in alios quoque poetas cecidit, qui, cum toto animo res grauissimas tractarent miseraeque aequalium condicioni mederi studerent, non intellecti et despreti, uehementi desiderio, cui nunquam satisfieri poterat, confecti sunt. Nomina non afferam. At, num quis eorum, quos tali fato succubuisse dolemus, propterea, quod operae suae fructus omnis, quos sperauerat, nihili fieri uidebat, Lucretio facilius in desperatum animi affectum incidere potuit? Lucretius Romanos ad eam animi integritatem et liberalitatem, quam dudum in omne tempus abiecerant, philosophia adducere uoluit ea aetate, qua philosophiae maximam partem non nisi ostentationis causa aut curiositate quadam ducti, aut ut otium in re delectationibus alliciente consumerent, studebant. Fere nemo erat Romae nisi superstitiosus aut, qui, cum deos ueteres non iam uenerari posset, omnem erga sanctissimas humanitatis leges pietatem abiecerat; bellis foedissimis intestinis respublica flagrabat. Quod cum uideret et de patria et de omni sua opera Lucr. desperauit neque, cum fortasse amoris uulnera accederent, quin mente alienaretur, fieri non potuit. — Ceterum ut Eusebianae, uiri a Forb. et Eichst. nimis despecti, auctoritati etiam aliunde prospiciam, Lucullum afferri liceat, quem Plut. (uit. Luc. cp. XXXXIII eidem fato succubuisse narrat: *καὶ πρό γε τῆς τελευτῆς λέγεται νοσῆσαι τὴν διάνοιαν αὐτῷ κ. τ. λ. — — τὰ δὲ φάρμακα δοθῆναι μὲν, ὡς ἀγαπῷτο μᾶλλον ὁ Καλλισθένης ὑπ' αὐτοῦ.*

traditur. — Utique poeta, carmen retractans, aut hunc locum delere aut promissam disputationem addere debebat. Ceruantius sane, scriptor omnium lepidissimus, Pansam asino priuatum asino inuehi sui ipsius obliuiscens narrare potuit, Lucretio tale quid fugiendum erat. — Grauissima uero narrationis Eusebianae confirmatio ipsis repetitionibus ei suppeditatur, qui opinione non praeiudicata ad rem accedit. Exceptis iis, quas legitimas quodammodo diximus, non dispersae hic illic inueniuntur, sed aut ibi posita, ubi omnino auctor facillime in angustias compelli potest, carminum singularumque disputationis partium principium et finem dico; aut ubi poetae ad uersus supra positos respiciendum erat, aut ubi uersus in prioribus libris alieno loco positi, in libros posteriores, ut in aptiorem locum, transferri posse uidebantur. Quod qui iuste perpenderit, talis, quas hoc loco exhibuimus, repetitiones in libro paucos reperiri neutiquam mirabitur; ibi enim, quamuis ad finem libri uigor poeticus aliquanto languescere uideatur, tum respiciendi ad priora occasio rara est, tum fines, quibus utrique loci contineantur, nimis arti sunt. Imo etiam in secuudo et tertio libro hoc refugio modeste usus est poeta, neque ita, ut magna disputandi copia exinde oriatur. Ab initio, ut par erat, oratio expedita et aeque profluit neque multo ante finem turbatur. Primum haeremus in u. 823 sq.

Quin etiam passim nostris in uersibus ipsis
multa elementa uides multis communia uerbis;
cum tamen inter se uersus ac uerba necesse st
confiteare et re et sonitu distare sonanti.

qui quattuor uu., cum in libro II denuo recurrant, neque ulla earum, quas initio significauimus, causarum defendi possint, uel ob ipsam repetitionem alterutro loco a carmine eleganti alieni uideantur. Uerum L. II bene se habent, quippe ubi copiosior de communibus elementis disputatio instituenda fuerit, cui quasi clausula exemplum de uerbis et uersibus petitum adiicitur. Haud eadem res est L. I, quo Lucretius contra homines disputans, qui quattuor elementis, aëre, terra, humore, calore rerum summam constare perhibent, argumentis inde, quod aerem, terram, cetera ad uiuendum necessaria esse negari nequeat, petitis, hoc fere respondet: non nego, a certis rebus nos ali, modo hoc iuste intelligatur:

nimirum, quia multimodis communia multis
multarum rerum in rebus primordia multa
sunt; ideo uariis uariae res rebus aluntur.

Hoc iam modo Lucretius nouum aduersariorum argumentum, quamuis non prorsus euertisset, attamen quo modo secundum suam ipsius doctrinam explicari posset, demonstrauit, disputationique finem imponere potuit. Ideo uero, ne dubitationis, quam ex omni parte nondum remotam intellexerat, locus restaret, sententiam copiosius exponens inuitus ad res traductus est, quae L. II accurate examinandae a nostra disputatione abesse poterant, ad illam de communibus uariarum rerum elementis doctrinam, qua nobis ignem, aerem, imbrem, terram (omnium rerum communia elementa) primordia non esse neutiquam persuadetur. At fortasse locus reuera alienus est et ab inepto Forbigeri interpolatore additus? Minime! infra enim ad ipsos hos uu. a Lucretio allegamur. cf. modo u. 906 sq. Res est, quam significaui. Lucretius, ne debile suum argumentum labefieret, adminicula quaerens deerrauit quodammodo. Quod cum probe intellexisset, uersus in aptiorem locum transtulit, priore damnans.— De emendatione in u. extremo conspicua infra dicemus.

Iam ad Anaxagorae ὁμοιομέρειαν progressus in omnibus rebus omnis inesse negat; quippe, cum saxa franguntur, sanguinis signum non mittitur, neque cum lignum scinditur, ignis apparet.

At saepe in magnis fit montibus, inquis, ut altis
arboribus uicina cacumina summa terantur,
inter se ualidis facere id cogentibus austris,
donec flammai fulserunt flore coorto.

Profecto, inquit, haec res nobis, qui omnium rerum elementa, permulta, diuerso modo mixta, diuersas res creare docemus, minime repugnat: „plaga extrinsecus aduenlente semina ardoris, „quae (utpote multarum rerum communia, uerum non ipse ignis) „in lignis latent, concutiuntur, confluunt et incendia creant; ne„que omnino (id quod inde necessario sequitur) in rerum super„ficie haerendum est, sed ad interiores rerum causas pene„trandum:“

denique iam quaequomque in rebus cernis apertis,
si fieri non posse putas, quin materiai
corpora consimili natura praedita fingas;
hac ratione tibi pereunt primordia rerum;

fiet, uti risu tremulo concussa cachinnent
et lacrumis salsis humectent ora genasque.

Absoni igitur et alieni prorsus uu. 918 et 919 minime sunt et inanis omnis Forbigeri contra eos disputatio est. Attamen non utique necessarii sunt. Neque puto, Lucretium carmen retractantem, uu. L. II, 976. 77. loco aptissimo, unde auelli non iam possunt, repetitos, L. I intactos relicturum fuisse. Forbigerus (diss. p. 47) uersus abruptos dixit, quod quomodo se haberet, ipse non exposuit. Lucretius iis, qui in rerum superficie haerent, quousque ipsi ineptiarum progredi possent, demonstrare conans, exemplo ex primordiis flentibus et ridentibus petito efficacius lulentiusque afferri non posse censuit. — Cum superioribus uu. optime coniuncti sunt, neque, ne uu. 914—917 sententia plena careant, deficere possunt; at num cum sequentibus? Hoc non in nostros uu. cadit, quippe noua et ab omnibus, quas adhuc exposuerat, rebus diuersa disputatio iam sequitur. Excipit ille locus, a quo profecti sumus:

Nunc age, quod superest sq.

Causam, qua hic positus uideatur, quamuis extra dubitationem poni nullo modo possit, supra indicauimus. Fortasse ipse Lucretius paulo post compositum hoc exordium iam aliter de re cogitauit; certe additis uersibus:

Sed quoniam docui solidissima materiai
corpora perpetuo uolitare inuicta per aeuom;
nunc age summai quaedam sit finis eorum
necne sit euoluamus cet.

magnum illud exordium, si non adesset, non desideraremus. — Iam ad alterum librum accedamus. Primus, qui ex eo referri possit, locus est II, 253. Lucretius ideo, ut clinamen suum principiorum defenderet eorumque doctrinam refelleret, qui plagas et motus genitalis eo effici docuerant, quod corpora grauiora, quia citius per inane ferrentur, ex supero leuioribus inciderent, neque aliter, nisi omnia corpora in inani spatio aequa celeritate cadere monens, rem gerere neque loci immemor esse potuit, quo corpora in medium summae niti eodem modo negauerat. Ad illius igitur loci similitudinem nostrum ex parte conformauit. cf. modo I, 1073 sq. et II, 230 sq. Etiam clausula in utroque loco simillima est: „haud igitur possunt“ et „haud igitur poterunt.“ — Eiusdem generis est repetitio II v. 750 sq. Lucretius L. I

(u. 789 sq.), ut igni in omnis res mutato rerum materiem constare negaret et L. II, ut colore (qui ipso lumine mutaretur) primordia carere doceret, eodem argumento uti debuit iisdemque etiam uersibus usus est:

(omnis enim color omnino mutatur in omnis)
quod facere haud ullo debent primordia pacto;
inmutabile enim quiddam superare necesse st,
ne res ad nihilum redigantur funditus omnes;
nam quodquomque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius, quod fuit ante.
Proinde colore caue contingas semina rerum,
ne tibi res redeant ad nihilum funditus omnes.

Forb. diss. p. 48 „magis etiam, inquit, quam locis hactenus tractatis sententia nostra confirmari uidetur aliis quibusdam uersuum seriebus, quae ex pluribus et diuersis locis repetitis magno labore consutae sed prorsus superfluae et absonae adiiciuntur. Pertinet huc inter alios plures locos L. II u. 1006—1021, qui paucis modo uersibus exceptis ex aliis Lucretii locus est compositus."

Iam locum examinemus, qui L. II extremus est, quem huc referre possimus. — Philosophorum, qui nos utpote sensilis ex sensilibus ortos dixerant, argumentis, quantum fieri poterat, refutatis Lucretius, ut relicua, si quae essent, praua de nostra origine praecepta breuibus refelleret, Epicuream de rerum origine doctrinam in fine repetiit: „omnes, quotquot sumus in mundo, et fruges et arbores et bestiae et homines uno eodemque patre (aethere) una matre (terra) gaudemus:

denique caelesti sumus omnes semine oriundi;
omnibus ille idem pater est, unde alma liquentis
humoris guttas mater quom terra recepit,
feta parit nitidas fruges arbustaque laeta
et genus humanum, parit omnia saecla ferarum,
pabula quom praebet, quibus omnes corpora pascunt
et dulcem ducunt uitam prolemque propagant:
quapropter merito maternum nomen adepta st.,
cedit item retro, de terra quod fuit ante,
in terras, et quod missum st ex aetheris oris,
id rursum caeli relatum templa receptant.

Omnia igitur, quae in mundo cernuntur, principiorum motu suppeditantur neque interimuntur res, sed dissoluuntur:

nec sic interimit mors res, ut materiai
corpora conficiat, sed coelum dissupat illis;

inde aliis aliud coniungit et efficit, omnes
res ita conuortant formas mutentque colores
et capiant sensus et puncto tempore reddant;
ut noscas referre, eadem primordia rerum
cum quibus et quali positura contineantur,
et quos inter se dent motus accipiantque.

Forb. qui extremos hos uu. ab interpolatore additos dicit, profecto negligenter et parum circumspecte rem gessit; sed ne ipse quidem his uu. tantam, quantam tribus continuo sequentibus, utpote ineptis et in quibus explicandis interpretes frustra se torsissent, offendendi copiam praeberi concessit. Iam prodeat haec, ut ita dicam, interpretum formido:

neue putes aeterna penes residere potesse
corpora prima, quod in summis fluitare uidemus
rebus et interdum nasci subitoque perire.

Haec enim est Forbigeri scriptura, quam omni sensu carentem dicit. Lectionem, quam Pius in priscis exemplaribus se inuenisse testatur et propterea Candidus recepit, quam praeter alios etiam Wakef. et Eichst. tuentur: „neue putes aeterna parum residere potesse" auctoritate destitutam Forbig. dicit, uir, qui nusquam sibi constat. Pii auctoritatem, ut suae suspicioni faueat, alibi premit, deserit hic eodem consilio. Putat enim parum aduerbio recepto loci sententiam sanam, suam de uersibus suspicionem uanam et inanem esse. — Neque uero equidem parum, Pii, hominis omni fide destituti, inuentum recipiam, quippe quo aliena prorsus res in nostram disputationem introducatur. Eo, ut corpora prima aeterna esse h. l. demonstraret, Lucretius neque iis, qui antecedunt, uersibus adduci poterat, neque iis, qui sequuntur, se adductum profitetur:

Quin etiam refert in nostris uersibus ipsis sq.

Utroque loco et qui ante tris illos uu. Forbigero infestos (quos etiam Lambinus damnandos censuit) et qui post eos legitur, de nulla alia re nisi de primordiorum motu agitur, neque ullo modo disputationem interruptam esse liquet. Iam cum propterea Pii coniectura nimis offendat, accedit, quod oratio parum latina est. Nullo enim pacto aeterna resident pro aeterna sunt dici potest. Wakef. duos locos affert, quibus hanc residendi u. sententiam efficiat; utrumque iniuria. Altero, quo praeter nostrum solo Lucretius hoc u. utitur, residere eadem qua remanere sententia scriptum est. cf. III, 399:

Nam sine mente animoque nequit residere per artus
temporis exiguam partem pars ulla animai.

Altero V, 1424 perfectum est uerbi III declinationis*).

In codicum scriptura haerendum est. Ueteres explicationes, quibus penes aeterna idem dicitur, quod in profundo immenso aut in aeternitate, quibusque ad fluitare, nasci, perire infinitiuos primordia subiecti loco referuntur, reiiciendae sunt. Primordia neque nascuntur, neque pereunt, neque de profundo immenso et de aeternitate hic cogitari potest: in profundo immenso, h. e. in spatio infinito, quippe quod superare nequeant, primordia semper remanent et quid illa aeternitas esset, nemo adhuc explicuit. Etiam ipsa uocabuli, quo tantopere uexabantur, uis et ratio talibus interpretationibus nimis obstat. — Lucretius, uti diximus supra, ideo, ut mundum in ipso primordiorum motu consistentem demonstraret, hanc clausulam addidit atque hunc rerum creatorem motum etiam exemplo ex litteris et uerbis petito ita probauit, quod uerba neque nascerentur omnino neque mutarentur nisi elementis motis et mutatis. Mundo uero mutando et dissoluendo nihil praeter primordia aeternum exstat atque falluntur, qui primordia in rebus aeternis residere h. e. qui res modo constitutas aeternas esse et primordiorum motum in omne tempus finiri posse opinentur: „Und „glaube nicht, dass die Urstoffe bei ewigen Dingen fest sitzen „bleiben, da wir doch in den letzten Dingen selbst beständigen „Wechsel und bisweilen zugleich mit der Entstehung auch schon „den Tod sehen." Hoc modo et sententiarum connexus est et uerba non torquentur. Neue putes aeterna penes residere sq. obscurius quodam modo dicta sunt, uerum et illo terti libri loco, quem supra exhibuimus, ad uerum egregie adducimur et Lucretius de rebus grauissimis et reconditissimis disputans obscuritatem haud admodum euitabat. Expeditior est altera sententiae pars: summa corporum mobilitas, qua, ne in omne tempus in iisdem rebus remaneant, siue ne easdem res in aeternum constituant, defenduntur atque arcentur, uel eo luculentissime apparet, quod in summis rebus (h. e. in morte et ortu) summae ui-

---

*) Ceterum Pius et, qui eum secuti sunt, omnes, cum uu. 1011 et 1012 eodem, quo relicui, peruerso modo explicarent, Lucretium sibi ipsi repugnantem effecerunt.

cissitudines ualent. — Quod in s. uerti „da wir doch;“ poteram etiam uertere „während wir doch.“ Ita enim neque „weil“ et propter loci sententiam et secundum Lucreti morem uertendum est cf. I, 83; 181; 214; 228; 235; II, 771 cet. Summae res mihi ad analogiam summi diei: mors et ortus sunt; quas quomodo priores explicauerint, nescio; nullus certe eorum quid de hac re sentiret, effatus est. Creechius in paraphrasi repetiit: summis in rebus. Forbig. de rerum superficie cogitauit, cuius hic nullus est locus. Nasci et perire absolute dicta sunt, uelut: Plaut. Bacch. I, 2, 50: hic uereri perdidit. Curcul. I, 1, 28: ita tuom conferto amare semper, si sapis. Lucr. IIII, 767: praeterea meminisse iacet languetque sopore. — Sed ut exempla deficiant; nostro loco infinitiuos absolute positos esse etiam sine exemplis apparet; primordia certe nullo pacto subiecti munere fungi possunt; et fluitare infinitiuus ad relicuorum similitudinem intelligendus est. — Haec de loci sententia: iam ad Forbigerum redeamus, cuius prorsus obliti eramus. Increpat Forb., quod locus ex aliis locis consutus sit. Uerum ad unius loci similitudinem conformatus est, cuius utpote simillimi Lucretius in nostro loco laborans necessario recordabatur: (I, 803 sq. cf. cum II, 991 sq.)

At manifesta palam res indicat, inquis, in auras
aeris terra res omnis crescere alique sq.

Respondent igitur II, 1007—9: uu. I, 817—19; II, 1015. 16 sq. uu. I, 820—23; u. 1020, qui etiam I, 635 et 681 legitur, nihil est nisi unius rei eadem descriptio, de qua in prima paragraphi parte diximus. — Dicit porro Forbig. transitum, ad nouam disputationem (de innumeris mundis institutam) paratum, adiectis illis, de quibus adhuc diximus, uersibus turbari. Uerum nullus transitus est neque remotis neque seruatis uersibus; uti alibi, etiam hic satis abrupte Lucretius ad res nouas transit solenni formula: Nunc animum nobis adhibe sq. — Egregie hoc loco ea, quae supra iam significauimus, confirmantur: poetam defessum quodammodo fatigatumque, quin ipsis in scopulis, qui unicuique librum componenti summa negotia facessere solerent, in conclusione et ingressu disputationis, naufragium faceret, omnino euitare non potuisse.

Tertius liber, fere omnium politissimus, de animi mortalitate compositus, quam rem Lucretius summo amore summoque

studio tractauit, fere nullam nobis disputandi copiam praebet. In initio tantum paucae eiusmodi, quibus Forb. offendi potuerit, repetitiones reperiuntur; uelut u. 31 et 32:

Et quoniam docui, cunctarum exordia rerum
qualia sint et quam uariis distantia formis sq.

qui ad eorum similitudinem compositi sunt, quibus se de hac re dicturum esse professus erat: (L. II, 33)

Nunc age iam deinceps, cunctarum exordia rerum
qualia sint et quam longe distantia formis sq.

U. 59 sq. labores, quos L. II a sapiente alienos esse dixerat, ob mortis timorem suscipi monuit. Disputatio igitur utroque loco satis similis est.

II, 7: sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
edita doctrinae sapientum templa serena;
despicere unde queas alios, passimque uidere
errare atque uiam palantis quaerere uitae,
certare ingenio, contendere nobilitate,
noctis atque dies uiti praestante labore
ad summas emergere opes rerumque potiri.

III, 59: Denique auarities et honorum caeca cupido,
quae miseros homines cogunt transcendere finis
iuris, et interdum, socios scelerum atque ministros,
noctis atque dies niti praestante labore,
ad summas emergere opes: haec uolnera uitae
non minunam partem mortis formidine aluntur.

Multo molestius est, quod de hac formidine copiosius exponens iisdem uersibus, quibus inanem uanamque eam L. II demonstrauerat, iterum usus est (III, 87):

Nam ueluti pueri trepidant atque omnia caecis
in tenebris metuunt: sic nos in luce timemus,
interdum nihilo quae sunt metuenda magis, quam
quae pueri in tenebris pauitant, finguntque futura.
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessu st
non radii solis neque lucida tela diei
discutiant sed naturae species ratioque.

qui prorsus iidem et II, 54 sq. et III, 87 sq. leguntur.

Uerum praeter exordium, in quo Lucretius omnino laborare solet, tale quid non reperitur.

Iam alia paulo res est L. IIII. — Exordium, ut uidimus, ex L. I repetitum est. Formula, qua ad nouam disputationem transitur, eodem modo ad L. III exemplar composita est, qua L. III ad L. II similitudinem. cf. L. III, 31 sq.:

Et quoniam docui cunctarum exordia rerum
qualia sint et quam uariis distantia formis
sponte sua uolitent, aeterno percita motu,
quoue modo possint res ex his quaeque creari:
hasce secundum res animi natura uidetur
atque animae claranda meis iam uersibus esse.

IIII, 26: Sed quoniam docui cunctarum exordia rerum
qualia sint et quam uariis distantia formis
sponte sua uolitent, aeterno percita motu,
quoue modo possint res ex his quaeque creari;
atque animi quoniam docui natura quid esset,
et quibus e rebus cum corpore compta uigeret,
quoue modo distracta rediret in ordia prima;
nunc agere incipiam tibi, quod uehementer ad has res
attinet, esse ea, quae rerum simulacra uocamus sq.

Quae cum ob repetitionem, tum ob inuenustum transitum u. 33 factum, quam molesta sint uel unusquisque intelligit. At hoc non mirum est in loco, quo, ut difficultati ad tempus mederetur, Lucretius illud o r d i a p r i m a posuit, solutionem tam singularem, cuius causa uirum summum elegantissimoque indicio instructum de omni Lucreti poetica ui desperantem audiui. (Similis uerbi forma L. VI, 962 exstat f a c i t a r e pro a r e f a c i t). Angustiarum uestigia etiam alia sunt, ad quae fortasse mira illa attractio referenda est, quam supra iam laudauimus:

quae (figurae) quasi membrana uel cortex nominitanda st

ubi, nisi qui materiae mole omnino obrutus et obtusus quodammodo laborabat, facilem medelam adhibere poterat: — — cortex nominitandae. — Atque ita sine dubio locus explicandus est, quem omnes adhuc editiones contra optimos codices exarauere:

Praesertim quom sint in summis corpora rebus
multa minuta, iaci quae possint ordine eodem,
quo fuerint et c u m f o r m a s e r u a r e f i g u r a m.

Certe haec est antiquissima Lugd. 2 et Memm. (de quo et Uat. solis Lambin. certum quid affert) scriptura. Postea casu excidit c u m, uelut in Lugd. I, Uat.: „et forma s.“ unde librarii Itali, uersum non ita curantes, effecerunt: e t f o r m a e, quod etiam in ed. Brix et Uer. exstat. Qua lectione utens Wakef. suam effinxit: „formai seruare figuram“ multo etiam inuenustiorem. Ante Wakef. intrudi solebat aut s o l i t a m aut u e t e r e m:

quo fuerint, ueterem (solitam) et formae seru. fig.

Forb. illam transitus formulam propterea subditiciam dicit, quod in libris loco apto semota sit. Legitur enim u. 25—29 post u. 51. Uerum haec nulla causa est; neque tota semota est, neque repetitiones et transpositiones in hoc exordio rarae sunt. cf. Siebel. transpositionum recensum. —

L. II Lucretius atomorum celeritatem describens uersus posuit hos: (160 sq.)

debent nimirum praecellere mobilitate
et multo citius ferri quam lumina solis,
multiplexque loci spatium transcurrere eodem
tempore, quo solis peruolgant fulgura coelum;

quorum duos extremos de mira membranarum celeritate agens iterum ponit IIII, 207. 208.

Iam sequitur insignis disputatio raro interrupta. Locus, quo primo offendi possimus, iusto leuior est. Ad semina eorumque texturas reuocatus L. duos uu. posuit, quos L. II, 725 de seminibus copiose disputans iam adhibuerat. cf. IIII, 651: Semina quom porro distent, differre necessu st interualla uiasque sq. Neque molestius est, quod a u. 734 inde de mortuorum simulacris agens eundem uersum ponit, quo L. I mortuos, quos in somno cernere nobis uidemur, designauerat: Quorum morte obita tellus complectitur ossa. Id displicet, quod idem exemplum, quo se suauius quam copiosius rem tractaturum esse L. IIII, 181 sq. significauerat, eodem libro u. 910 sq. iterum profert:

Nunc quibus ille modis somnus per membra quietem
inriget atque animi curas e pectore soluat,
suadicis potius quam multis uersibus edam:
paruos ut est cycni melior canor, ille gruum quam
clamor in aetheriis dispersus nubibus austri.

L. IV, 179: Nunc age quam celeri motu simulacra ferantur,
suauidicis potius sq.

Repetitiones, quas L. IIII paucas et praeter exordium omnis satis exiguas esse uidimus, in L. V multo plures et plurium uersuum reperiuntur*). Initio carminis ipso satis puro, primus, quo offen-

*) Iam, ne lectoris patientia iusto nimis exerceatur, repetitiones ita, ut in fine aut in exordio disputationis pleraeque omnes positae neque arbitrio dispersae appareant, recensebo tantum, non exponam. Unum, qui exstat, locum difficiliorem copiosius tractabo. Relicuos omnis cum sequentibus et antecedentibus arcte cohaerere primo obtutu ubique docemur.

dimur, locus post u. 128 reperitur. Lucretius eorum opinionem, qui terram, mare coelum, sidera, cet. diuino sensu praedita et uitaliter animata esse dicunt, oppugnans iisdem quattuordecim uersibus utitur, qui L. III, 78 sq.; ut extra corpus animam durare genique negaretur, apte positi, hic, quantumuis ad plenam et copiosam disputandi rationem utique necessarii sint, aegre quodammodo feruntur:

Quippe etenim non est, cum quouis corpore ut esse
posse animi natura putetur consiliumque;
sicut in aethere non arbor sq.

Non multo post (u. 196) quinque uersus, quos L. II, 177 sq. iam legimus, iterum ponuntur:

Quodsi iam rerum ignorem primordia quae sint;
hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim
confirmare aliisque ex rebus reddere multis,
nequaquam nobis diuinitus esse paratam
naturam rerum: tanta stat praedita culpa.

quos uu. L. II comprobatione non addita positos Lucretius h. l., quippe aduersariorum, quorum sententiam supra significaui, doctrinam peculiariter examinans, copiosius explicauit. Forbigerus, qui L. V, quo offenderetur, nihil inuenit, L. II omnem disputationem, cuius quasi clausula nostri uu. sint, absonam et suppositiciam dicit. At, quas attulit, causas omnis nihili esse Maduig. et Siebel., quamuis ad Forbigerum non respicerent, de uersibus L. II disputantes, luculenter effecerunt. — U. 211 de agricultura exponens uersus repetiit, quos de eadem re iam I, 211 sq. posuerat: si non fecundas uortentes uomere glebas

terraique solum subigentes cimus in ortus.

Molestissimum uero in hoc carmine est, quod uiginti tres uersus, quibus mentis mortalitatem L. III, 807 sq. comprobauerat, ad negandam mundi immortalitatem L. V, 352 sq. iterum arcessuntur. Forb. L. III uersus et propter mutationes damnat, quas infra examinabimus et propterea, quod uu. 820—829 in cdd. Bodl. Uind. Britt. omnibus, ed. Brix et Uer. omittuntur, u. 829 in omnibus libris et scriptis et impressis ante Aldin. I deest. Sed haec futilia sunt. Uellem potius, Forbigerus uersum 829:

haud igitur menti praeclusa st ianua leti,

quem Auancius paulo mutatum e L. V in III insolenter introduxit, in editione primus deleuisset. Lucretius hanc disputationis particulam retractans clausulam, qua disputatio luculentior et

ad persuadendum efficacior fieret, in fine adiecit. Auaucius aut propterea, quod clausulam deesse putabat, aut quia aequalitatis studio nimis uexabatur, uersum adiecit, qui ab eo inde in omnibus editionibus legitur. — En Forbigeri sagacitas! Dixit quidem Horatius: Nil admirari prope res est una, Numici,

sclaque quae possit facere et seruare beatum.

uerum equidem uirum, qui interpolatione editoris anno p. C. MD facta interpolationem saec. p. C. II argui dicit, quin admirer facere non possum. Neque minus inanis est alia suspicionis causa. Locus ad eos pertinet, quibus alterum codicum genus, lacunis sat multis insignitum, distinguatur. Omnes, quos supra attuli, libri hac in re unius instar sunt. — Haec, quam aggressi sumus, disputationis pars repetitionibus referta est; paulo post alia inuenitur: uu. 389. 90 iam eodem L. 267. 68 legebantur et a u. 420 inde locus sequitur tribus aliis conflatus. Consilium suum L. his uu. exponit:

Sed quibus ille modis coniectus materiai
fundarit terram et coelum pontique profunda,
solis, lunai cursus ex ordine ponam.

Qui sequuntur, uersus 420—432 plerique omnes supra iam diuersis locis legebantur. uu. 420—424 inde petiti sunt, ubi Lucretius ipsam sibi modum parare posse rerum summam negauerat (I, 1020 sq.) Etiam u. 429 inde petitus est. Uu. 424—427 iam eodem L. V (u. 189 sq.) legebantur, ubi contra eos poeta disputabat, qui mundum diuino consilio effectum dicunt, uu. 430—32 e L. II (1062 sq.), ubi de motu primordiorum rerum creatore dicti erant, arcessiti sunt. Tristi igitur industria locus ex iis locis compositus est, quorum poeta in ipsa hac re tractanda aut poterat reminisci aut debebat. Minus paulo molestae, uerum omnes in diligenti eorum locorum, quibus res tractandas poeta iam attigerat, examine nitentes, relicuae huius libri repetitiones sunt: V, 555 = III, 336; 1215 = I, 1063; 1216 = V, 380; 1277 = V, 831; 1314 = II, 632; 1344 = V, 529; 1384 = IIII, 587; 1391 — 95 = II, 30 — 34.

Iam ad librum VI accedamus, cuius ipso exordio propterea, quod nimis ad III et V Libr. exordiorum similitudinem compositum sit, nonnihil offendimur. Molestissimum est, quod illa uersuum series, quam L. III, 87 sq. e L. II repetitam uidimus, sertium legitur u. 35 sq. Nam ueluti pueri trepidant sq. De

quo timore copiosius exponens uersus adhibet, quibus in simili re I, 154. 55 iam usus est:

56. quorum operum causas nulla ratione uidere
possunt ac fieri diuino numine rentur.

Uu., qui continuo sequuntur, nouem, ad eandem rem spectantes, e L. V, 85—91 arcessiti sunt et, ne quid molesti restet, uu., quos u. 56 posuerat, duos e L. I repetitos, iterum posuit u. 91. 92. — Uerum iam tristi animi affectu superato recreatus ualescit uigor poeticus atque sequitur praeclara neque multum interrupta de meteoris disputatio, u. 95—599. Musae sane inuocationem, quae praemissa est, Forbig. ineptam dicit. Sed cf. Goethii uerba: „Von allen diesen Geistesoperazionen (quas modo exposuerat) finden sich herrliche Beispiele im Lukrez und ich wünschte unter jeder Rubrik die vorzüglichsten aufgeführt zu sehn. Betrachtenswerth findet sich grade hierzu im sechsten Buch die wichtige Stelle von V. 95—599. Sie ist sehr ausgearbeitet und würde davon Manches zu brauchen sein. Er selbst hat sie für so wichtig gehalten, dass er ihr einen Aufruf an die Musen voraufschickt." (Riemer, Mittheilungen über Göthe. Zweiter Theil, p. 644). Repetitiones in hac disputationis parte paucas dixi; attamen non omnes absunt. Prima est unius uersus VI, 199, ubi de ignibus idem dicit, quod V, 521 de uentis dixit: quaerentesque uiam circumuorsantur sq.; u. 228 fulminis descriptionem I, 490. 91 positam, iterum arcessit: transit enim fulmen coeli per saepta sq.; uu. 251—54, quos de fulminis ui disserens apponit, apponit, e L. IIII (171—74), ubi, ut simulacrorum celeritas depingatur, tempestas subito facta explicatur, petiti sunt. Uu. 382—84, quos 86—88 eosdem legimus, in aptiorem forsitan locum transducti uideantur. — Uersuum 634—39, quos de raro telluris corpore disputans posuit, quattuor postremos uu. L. V, 270—73, ubi de mari non augescente exponebat, iam adhibuerat. Eodem prioris loci respectu repetitio nititur u. 651—52, qui uu. etiam L. II, 725. 26 leguntur. — Miser animi habitus, qui iam antea conspicuus fuit, rerum ordine iusto nimis fluctuante, ad finem libri etiam magis apparet. De magnete disserentem se mirum in modum laborare ipse professus est his uu.: (918 sq.)

Hoc genus in rebus firmandum st multa prius, quam
ipsius rei rationem reddere possis;

et nimium longis ambagibus est adeundum;
quo magis attentas auris animumque reposco.

Quod cum ita sit, a u. 924 inde tredecim uersus sequentis omnis e L. IIII arcessitos esse non miraberis. Ipsa repetitionis causa, modo uersus iuste examines, satis patet atque interpolationis suspicio hic ut alibi inanis est. —

At, ne quid dissimulem, quamuis ita se habeat, Forbigerus, uersibus, L. VI repetitis, L. IIII haud sine causa offensus est; ibi enim, qualia iam Lucreti uerba exhibentur, ad rerum connexum non ita quadrare uideantur. Lucretius, qua tandem ratione disputationem de simulacris instituere, magna difficultate affectus, posteaquam simulacra esse omnino demonstrauit, de imaginum mobilitate celeritateque prae ceteris agendum censuerat. Iam primo disputationis periculo supra facto (u. 144) se de imaginum celeritate expositurum esse u. 177 iterum uerbisque multo grauioribus profitetur:

Nunc age, quam celeri motu simulacra ferantur,
et quae mobilitas illis, tranantibus auras,
reddita sit, longo spatio ut breuis hora teratur,
in quem quaeque locum diuerso numine tendit,
suauidicis potius quam multis uersibus edam.

Quod aliis exemplis iam comprobatum uersibus 210—230 uel maxime nobis persuaderi existimauit. Uerborum contextum Wakefieldianum uel potius Candidianum quem Eichstaedtius integrum recepit etiam Lambinus maximam partem comprobauit. Forbigerus, Wakefieldianum ingeni acumen suspiciens quodammodo, cum hic ut alibi omnem librorum auctoritatem, quantum fieri posset, excussam perhiberet, suae de loco suspicionis fundamentum hunc Candidi textum esse noluit. Uersibus 219—230 propterea offensus, quod corpora cum imaginibus coniungerentur, quae non de summo rerum, uerum ex alto missa Lucretius et u. 88 et infra ab imaginibus expresse distinxisset, Wakefieldio sane prudentius egit, omnem rerum scopum non attigit. Locus cum omnino accuratius examinandus esset, prae ceteris editores defecissentne a codicum auctoritate cognoscere debebat. U. 219 o b o r t u Candidi commentum uel propterea displicens, quod o d o r e s, codicum lectio, etiam repetito loco ab omnibus libris tenetur, sententiam efficit prorsus alienam. Imagines siue corpora, quae oculos feriant, non ab certis rebus sed ab omnibus mittun-

tur; cerni enim omnia possunt atomis exceptis, quarum hic nulla ratio habetur. A rebus certis fluunt odores, quos minime omnibus rebus esse sensu docemur. — Odores restituto, cum uersum 219 neutiquam eo, quo Wkf. asseclae iubeant, modo cum u. 218 coniungi posse per se pateat, sententia de uu. 219 sq. a Forbigero prolata iam aliena est. Uerum, antequam sequentia iuste intelligi possint, quid de antecedentibus statuendum sit, examinetur oportet. Wkf. et asseclae u. 217 sq. sic interpretantur: „Einer so ausserordentlich merkwürdigen Sache wegen muss man Körper anerkennen, welche die Augen treffen und von gewissen Dingen ausströmen, wie die Kälte von den Flüssen cet.“ Iam, ne de inepta uersuum 219 sq. coniunctione denuo moneatur, in uu. 217. 18 accuratius inquirentes haud una re offendimur. Primum „qua re etiam atque etiam mira“ pro „quam ob rem etiam atque etiam miram“ positum displicet et „corpora fateri“ pro „corpora esse fateri“ latinum non uideatur; tum res uu. 210—216 descripta, rebus antea commemoratis non magis recondita, cur tandem, quae etiam atque etiam mira appelletur, digna sit, non reperitur. „Uerum haec et per se leuiora sunt, inquis, et a Lambino mitti fateare exhibente facili coniectura remota.“ Profecto; etiam hoc loco Lambinus Wakefieldio multo prudentiorem et elegantiorem se praestitit: attamen ne Lambiniana quidem scribendi ratione omnes euanescunt dubitationes. Neutiquam enim Lucretius, posteaquam imaginum celeritatem exemplo comprobare instituit, ipsa ex re, quam exempli causa attulerat, id concludere debebat, quod neque ullo iam argumento indigebat, neque tam singulari re apte omnino neque tanto opere arguebatur, ut dicere posset poeta: „Quare etiam atque etiam fateare necesse st.“ Ultimo luculentissimoque celeritatis exemplo exhibito, Lucretius, antequam ad nouas res transiret, argumenta deinceps posita, compluria et diuersa, ne argumentationis totius clausula deficeret, ad rem demonstrandam referret oportebat. In uu. 215. 16, quippe qui ad solam aetheris imaginem, neque ad omnia omnium rerum simulacra pertineant, clausula non inest. Uerum, argumentatione quantumuis interdum abrupta, exemplis siue argumentis diuersis deinceps positis, Lucretius, ut res demonstranda lectori in fine iterum inculcaretur, ubique curauit, neque hic solito negligentiorem se gessit.

Quin ipsa, quae in talibus clausulis solennis est, formula u. 217 conspicua: „Quare etiam atque etiam“ ad uerum adducit. —

Dolendum sane est, temporis iniuria clausulam extrema parte mancam iam reperiri: nam p. u. 218, quippe qui cum u. 219 non iam coniungi possit, lacunam admissam esse dubitationem superat. Audaciores iusto profecto non uideamur, quod talem fere uersum post u. 218 deficientem existimamus:

perpetuo fluere et dimitti mobilitate.

Quali u. addito et mira u. 217 positum commode intelligitur et argumentatio integra efficitur. Lucretium enim res similis similibus comprobare cum exemplis sat multis ipsi intellexerimus, tum a Seruio docemur.

Perpetuo non tam ideo, ut idoneum uersus principium exhiberetur, posui quam ad u. 144 orationem accomodans, quem Lucr. omni de simulacrorum celeritate disputationi primum praeposuit:

Nunc age, quam facili et celeri ratione gerantur
perpetuoque fluant ab rebus lapsaque cedant sq.

Quod perpetuo repetens necessaria fere cogitandi lege ut perpetui simulacrorum motus exempla quaedam afferret, excitari poterat; atque summopere ita, uu. 219 sq., quippe qui ad hanc rem utique compositi uideantur, coniecturae nostrae fauent. Paruula mutatio, quam adhibuimus, fluunt neque fluant exarantes, ne uersus omni sententia careant, quocunque modo intelligantur, necessaria est et a Lambino iam recepta. Accedit, quod loco repetito, qui integer seruatus est, et omnium librorum consensu et sententia fluunt aeque commendatur.

Iam his expositis locus planus est et perspicuus et uersus, quos Forb. interpolatos dixit, ad argumentationem rite absoluendam adhibiti aptissimi sunt. L. VI propterea arcessuntur quod Lucr. semina aerem discutientia e magnete permulta fluere exemplis comprobare susceperat. Cf. u. 1001 sq.

Uigorem poeticum non solum in hac de magnete disputatione uerum omnino in fine libri defecisse extrema pars docet, quae de Atheniensium pestilentia conscripta, quantumuis per se uenusta sit, ad rerum naturam explicandam non ita ualet, ut iustam operis totius clausulam efficiat. Repetitiones sane rarae sunt; nam et omnino respiciendi ad priora locus non erat et

Thucydides, qua ratione narratio instituenda esset, poetam docuerat. Respondent u. 1236 uersui L. V, 464; 1251: V, 931.

Iam, posteaquam fere cum Forbigero solo disputauimus, tertium Eichstaedtianae suspicionis argumentum excutientibus aduersarius multo grauior nobis impugnandus est, Casp. Orellius, qui in eclogis locos nonnullos ideo, ut cum locis parallelis conspirarent mutari iussit. —

Orellius, aeque atque Eichstaedtius et Forbigerus, propterea, quod ipsam mutationum naturam et indolem parum examinauerat, ad peruersam de locis sententiam peruenit*).

Anxium uariandi studium, Lucretio graui poeta indignum, quod Eichstaedtius in locis eodem sensu repetitis apparere statuit, nusquam reperitur. Mutationes aut propterea adhibitae sunt, ut locus repetitus cum superioribus apte coniungeretur, aut, eaeque plurimae, reuera sunt emendationes, quas poeta rem retractans, instituit. Exemplum, quo mutationes ob sententiarum connexum susceptas esse egregie liqueat, hoc est. L. I, 812 leguntur:

Adiutamur enim dubio procul atque alimur nos
certis ab rebus, certis aliae atque aliae res;
nimirum, quia multimodis communia multis
multarum rerum in rebus primordia multa
sunt, ideo uariis uariae res rebus aluntur.
Atque eadem magni refert primordia saepe
cum quibus et quali positura contineantur.
et quos inter se dent motus accipiantque;
namque eadem coelum, mare, terras, flumina, solem
constituunt, eadem fruges, arbusta, animantis;
uerum aliis alioque modo commixta mouentur.

L. V, 906 sq., ubi ad nostrum locum respicitur, in uu. repetitis necessaria exstat mutatio:

Iamne uides igitur, paulo quod diximus ante,
permagni referre, eadem primordia saepe

---

*) Etiam Weberus in corp. poet. Lat. ad Lucr. l. IIII init. de mutationibus uerba faciens, quid statueret, ambigebat: „Difficilis, inquit, sane quaestio est, utrum eodem modo ubique poeta eandem uoluerit rem explicare an uariare rationem; et habet utraque ratio, quo defendatur.

cum quibus et quali positura contineantur,
et quos inter se dent motus accipiantque.

Iam item necessariae sunt in iisdem uu. mutationes, quae L. II, 760 sq. reperiuntur:

Praeterea magni quod refert, semina quaeque
cum quibus et quali positura contineantur,
et quos inter se dent motus accipiantque,
perfacile extemplo rationem reddere possis,
cur ea, quae nigro fuerint paulo ante colore,
marmoreo fieri possint candore repente.

„*Praeterea, quod refert*“ ob ipsam sententiam dici debuisse primo obtutu docemur; quo ne uersus corrumperetur, *primordia* in *semina* mutandum erat.

Quarto loco adhibiti uersus eandem ob causam item paulo mutati apparent: (L. II, 1006. 7)

Nec sic interimit mors res, ut materiai
corpora conficiat, sed coetum dissupat illis,
inde aliis aliud coniungit et efficit, omnes
res ita conuortant formas, mutentque colores,
et capiant sensus et puncto tempore reddant;
ut noscas referre, eadem primordia rerum
cum quibus sq.

Hic iam *saepe* uocabulum, quippe cum mors in omnis res caderet atque ubique et quoque tempore eadem appareret, haud idoneum esse intelligens, Lucretius aptissima mutatione adhibita *rerum* scripsit. Eadem mutandi causa uu. 820 sq. reperitur, quos Lucret. II, 1015 sq. iterum posuit:

Quin etiam refert in nostris uersibus ipsis,
cum quibus et quali sint ordine quaeque locata;
namque eadem coelum, mare, terras, flumina, solem
significant sq.

Significant scribere debebat, quia non iam de rerum primordiis, sed de uerbis et uerborum elementis exponebat. —

L. II in. Lucretius haec cecinit:

Ergo corpoream ad naturam pauca uidemus
esse opus omnino, quae demant quomque dolorem,
delicias quoque uti multas substernere possint.
Gratius interdum, neque natura ipsa requirit *),
si non aurea sunt iuuenum simulacra per aedis,
lampadas igniferas manibus retinentia dextris,

*) De distinguendi ratione cf. Siebel. Quaest. Lucr. p. 8.

lumina nocturnis epulis ut suppeditentur;
nec domus argento fulget auroque renidet,
nec citharae roboant laqueata aurataque templa;
quom tamen inter se prostrati in gramine molli
propter aquae riuom sub ramis arboris altae
non magnis opibus iocunde corpora curant,
praesertim quom tempestas adridet et anni
tempora conspergunt uiridantis floribus herbas.

Extremi uersus in describenda simplici primorum hominum uita adhibiti L. V, 1391 sq. sic leguntur:

Haec animos illis mulcebant atque iuuabant
cum satiate cibi; nam tum sunt omnia cordi.
Saepe itaque inter se prostrati in gramine molli
propter aquae riuom, sub ramis arboris altae,
non magnis opibus iocunde corpora habebant;
praesertim, quom tempestas ridebat et anni
tempora pingebant uiridantis floribus herbas;
tum ioca, tum sermo sq.

„Saepe itaque“ excusatione non egat. Relicuae mutationes inde profectae sunt, quod tempore mutato pro praesentis forma prateriti ponenda erat, propterea habebant positum est, uocabulum satis inuenustum; propterea ridebat praelatum, quod, quamuis per se bonum, praestantius non est; propterea etiam pingebant illud, quod sane uocem L. II adhibitam elegantia superat. — Prorsus eaedem mutationum causae, quas omnis examinare et recensere tempus et chartam terere est, in uu. reperiuntur his: I, 212. 13 et V, 211, 12; I, 483 et I, 306; I, 675 et I, 758; II, 12. 13 et III, 62. 63; II, 162. 63 et IIII, 208. 9; II, 632 et V, 1314; II, 724. 25 et IIII, 653. 54; II, 1062 et V, 428. In loco maiore (III, 807—29 et V, 352—374) mutationes propterea arcessendae erant, quod uu. L. III de mente compositi LV ad mundi descriptionem adhibebantur. Praeter leuiores mutationes, quas poeta inuito ortas dicere possumus, omnes in his uu. reperiuntur: (L. III, 820.)

At neque, uti docui, solido cum corpore mentis
natura st, quoniam admixtum st in rebus inane;
nec tamen est ut inane neque autem corpora desunt,
ex infinito quae possint forte coorta
proruere hanc mentis uiolento turbine molem,
aut aliam quamuis cladem importare pericli:
nec porro natura loci spatiumque profundi

> deficit, exspergi quo possit uis animai,
> aut alia quauis possit ui pulsa perire.

L. V legitur: solido cum corpore mundi; corruere hanc rerum uiolento turbine summam; quo possint moenia mundi; possint u. p. p. Eiusdem modi sunt mutationes adhibitae: V, 188 sq. et VI, 635—38; V, 864 et VI, 1235; V, 883 et 1277; V, 931 et VI, 1251.

Emendationes poeta partim iis in locis adhibuit, quibus rem significandam non luculenter satis significauerat; partim iis, quibus uoce haud ita poetica usus erat. Luculentissima exempla haec sunt: (L. I, 823 sq.)

> Quin etiam passim nostris in uersibus ipsis
> multa elementa uides multis communia uerbis,
> quom tamen inter se uersus ac uerba necesse st
> confitearé et re et sonitu distare sonanti.

qui uu. II, 688 repetuntur, u. extremo sic exarato:

> confiteare alia ex aliis constare elementis.

Sonitus sonans displicuerat. L. I, 918 legitur:

> Hac ratione tibi pereunt primordia rerum;
> fiet, uti risu tremulo concussu cachinnent
> et lacrumis salsis humectent ora genasque.

quae sententia II, 975 paulo mutata redit:

> Quid? genus humanum propritim de quibus auctum st;
> scilicet et risu tremulo concussa cachinnant
> et lacrumis spargunt rorantibus ora genasque.

Paulo magis recondita res est L. III, 785—98:

> Denique in aethere non arbor, non aequore in alto
> nubes esse queunt, nec pisces uiuere in aruis
> nec cruor in lignis nec saxis sucus inesse sq.

L. V, 129—142, ubi uersus repetuntur, praeter mutationes, quae propter diuersum sententiarum connexum necessariae erant, emendationes hae leguntur:

> Sicut in aethere non arbor, non aequore salso
> nubes esse queunt, nec pisces uiuere in aruis,
> nec cruor in lignis neque saxis sucus inesse.

Fortior enim fit oppositio addito salso, quod solenne maris epitheton a nubibus utique alienum est. Neque saxis propter singulare illud studium positum est, quod, quamuis ab editoribus, optimos cdd. non ea, qua par erat, diligentia excutientibus, persaepe oblitteratum, Lucretius in eo collocauisse uidetur, ne in eodem u. neque aut nec bis dictum reperiretur. Eiusdem modi

est, quod I, 1025 omne genus motus et coetus experiundo V, 429 ita legitur: omnigenos coetus et motus experiundo. —

Eiusdem generis etiam locus est, quem Orellius ad repetiti similitudinem emendatum mauult. cf. V, 1387:

Sic unum quicquid paulatim protrahit aetas
in medium ratioque in luminis eruit oras.

Quam formulam omnibus, quas narrauerat, rebus in unum quasi collectis Lucretius in fine totius libri iterum arcescit:

Sic unum quicquid paulatim protrahit aetas
in medium ratioque in luminis erigit oras.
Namque alid ex alio clarescere corde uidebant,
artibus ad summum donec uenere cacumen.

Orellius utroque loco eruit scripsit, hac adnotatione addita: (cf. Ecl. p. 81) „Utrobique idem uerbum praestare arbitror; quanquam haud nego Lucretium interdum consulto similes uersus leuiter immutauisse. Sed horum alia ratio est neque audiendus Wkf. ad V, 1388: „Carus noster siquis alius denique studiose diuersitatem phraseos sectatus est.“ Itaque hoc loco quoque eruit praetuli.“ Recte Orellius Wakefieldium non audiuit, neque Lucreti in mutando consilium (quod luculentius et copiosius exponere debebat) ubique idem esse concessit; lectionem omnibus libris commendatam iniuria damnauit. Erigit, emendandi causa scriptum, sententiam h. l. aptissimam, quae ab eruendi uerbo aliena est, perbelle adiungit. „Quod in medium protrahitur et conspicuum fit, id quodammodo etiam erigitur antea tenebris oppressum, ut longe eminens omnibus cerni possit, ad luminis oras, quae illis tenebris multo superiores cogitari possunt, subleuatum et prouectum.“ — Non differunt mutationes in exordio libri quarti, quod e L. I (925 sq.) repetitum est, conspicuae. Legitur u. 8: „deinde quod obscura de re tam lucida pando carmina,“ quod Forb. recte ita explicuit: expando, omnibus oculis aperio. Libro I pango reperitur, quod Orellius, in re tam minuta iusto seuerior, utrobique exhiberi iubet „nam hoc quidem loco inepta esset uariatio.“ Pando emendandi causa tum propterea placuit, quod haud ita tritum est, tum quod omnibus ad lucida carmina atque adeo ad philosophiae mysteria iam aditus aperiri luculentius significat. Tali attactu, quod IIII, 17 secundum Lugd. 2 scribendum uidetur, ad rem demonstrandam

arctius accomodatum est, quam tali facto L. I uniuerse dictum. Legitur deinde L. I:

> Si tibi forte animum tali ratione tenere
> uersibus in nostris possem, dum perspicis omnem
> naturam rerum sq.

Ad L. IIII codd. Orelli, Wkfieldi omnes, editt. uett. percipis exhibent, quod Orellius utroque loco restituendum ducit. Lamb. Hkp. Alterus, qui perspicis exhibent, de suis libris nihil referunt. Uerum enim uero interpolatores uarietatem in locis repetitis sectari non solent, uirorumque, quos modo dixi, auctoritas propterea, quod in Ald. I Auancius aequalitatis nimis studiosus perspicis primus reposuit, summopere infringitur. Omnium enim ante Wakf. editionum Aldina fundamentum quasi erat et quod Lambinus iusto saepius commisit, ut Auanci lectiones, codices non curans, tacite et inconsulte reciperet, hoc ne Hkp. quidem in rebus minutioribus ubique euitauit. — Quod cum ita sit, codicibus uarietas firmari uidetur, neque displicet percipis, imo sibi id magis placere Orellius non sine causa dixit. Modo ne utroque loco id exhiberi iussisset. Manifestior est emendatio in extremo u. instituta: — dum percipis omnem naturam rerum ac persentis utilitatem, quod profecto eo praestantius est, quod L. I exstat, neque non est mera sententiae antecedentis superuacanea explicatio. — Eiusdem generis fere sunt relicuae, quae reperiuntur, mutationes: I, 136 et IIII, 738; I, 886 et V, 407; III, 31—34 et IIII, 26—29; IIII, 171—74 et VI, 250—53; IIII, 218—30 et VI, 923—45; V, 831 et V, 1271; V, 1387 et V, 1453.

Quarum mutationum nonnullas, quo tandem consilio susceptae sint, non iam prorsus liquere concedens, Orellio Eichstaedtioque neutiquam cedo. Tantuli enim sunt hi loci, in quos id cadat, quod in praefatione significaui: non tanta et tam putida diligentia Lucretium rem egisse, ut nulla sua sponte mutatio exoreretur. — Profecto criticum non decet, Orellium sequi, qui re non explorata iis locis, quos in eclogis tractare contingebat, propterea, quod alterutrum praestantius quodammodo uideretur, aequalitatem sectatus est.

Quod omnes emendationes, et maiores illae, quas Orellius uexare timet et minutulae, quae fere nihil nisi merae uariationes

uidentur, in posterioribus libris inueniuntur, id mero casu factum esse nequit.

Haec contra Orellium; quem Eichstaedtius prudentia non superauit. — Repetitionum longe plurimas omnino non in rem suam Eichst. conuertere potuit: pleraeque omnium omnibus uariationibus carebant, magna pars mutationum ob diuersum sententiarum connexum instituta erat et qui restabant locorum repetitorum nonaginta, quattuordecim, ii quoque certo consilio a poeta ipso mutati uidebantur *).

*) Eichstaedti Forbigerique suspicionem ex grammaticorum locis petitam, quam duobus capitibus examinaueram, inanem et futilem esse disputatione etiam copiosiore alio loco comprobabo, omnibus, qui Lucretium laudant, serioribus auctoribus neque solum grammaticis diligenter excussis.



THESES.

Futilia sunt, quae de Plauto, Theocriti imitatore, Lingius primus proposuit, Felix Baehr in hist. litt. Rom. transscripsit.

Theocr. έ 25 sq. omnis allegoriae suspicio, in quam Wüstemannus incidit, inanis est. Ne Adertus quidem (Theocrite par I. Adert. Genève 1843. Appendice p. 13) locum ab omni parte iuste intellexit.

Theocr. ή 41 sq. ita uersus iungo:

MEN. *Ἔνθ' ὄϊς, ἔνθ αἶγες διδυματόκοι, ἔνθα μέλισσαι*
σμάνεα πληροῦσιν, χαὶ δρύες ὑψίτεραι,
ἔνθ' ὁ καλὸς Μίλων βαίνει ποσίν· αἱ δ' ἂν ἀφέρπῃ,
χὡ ποιμὰν ξηρὸς τηνόθι χαὶ βοτάναι.

ΔΑΦΝ. *Παντᾷ ἔαρ, παντᾷ δὲ νομοί, παντᾷ δὲ γάλακτος*
οὔθατα πλήθουσιν καὶ τὰ νέα τρέφεται,
ἔνθ' ἁ καλὰ παῖς ἐπινίσσεται· αἱ δ' ἂν ἀφέρπῃ
χὡ τὰς βῶς βόσκων χαὶ βόες αὐότεραι.

Causis, quibus haec uersuum transpositio commendatur, etiam Meinekiana de u. 53 sq. sententia egregie fulcitur, Hermanniana prorsus refellitur.

Lucr. VI, 1077 sq. (ed. Eichst.) legendum coniicio:

Denique non res auro aurum concopulat una,
aeraque non plumbo fit ubi iungantur ab albo?

Quod Seruius ad Aen. VI, 595 Lucretium de Ixione narrare dicit, id ineptum Serui commentum est. Lucreti uersus de inferis compositi integri nobis restant.



UITA.

Natus sum Carolus Theodorus Hugo Purmann, fidei euangelicae addictus, Olsnae a. d. IIII Non. Apr. anno huius saeculi uigesimo primo, patre Theodoro, gymnasi praeceptore, matre Beata, e gente Brandtiana, iam defuncta. Primis litterarum elementis imbutus in Gymnasi Olsnensis, quod tum Koernero directore florebat, disciplinam traditus sum. Anno MDCCCXXXXI maturitatis testimonio instructus in Uniuersitatem litterarum Uratislauiensem me contuli, philologicis praecipue disciplinis operam daturus et Gauppio clarissimo rectore ciuibus academicis sum adscriptus. Scholis me docuerunt UU. DD. Ambrosch, Behnsch, Braniss, Caspari, Haase, Jacobi, Roepell, Schneider, Stenzel, Stenzler. Summa uero inter commoda refero quod anno MDCCCXXXXII in seminari regi philologici sodalis suscipiebar et fructus, quos praesides illustrissimi, Schneider et Ambrosch, large spargunt, tris annos capere mihi licebat. His uiris omnibus, quod ueritatis quaerendae studium confirmarunt et auxerunt, summam semper gratiam habebo.

